Quando præceptis hoſtium cogebantur (ita enim accipit ἐπερωτᾶν *interrogare, & rogare*) nec pſalmum dicere auſi ſunt *in terra aliena*; & nunc nullo cogente, ſuo arbitrio, propria voluntate contra Deum præparant bellum. Adhuc eumdem premit acrius *a* Judæum, cui nefas fuerit in exilio celebrare jejunium *b*, immolare; & ſacrificare *c*, feſtos dies agere, legem etiam legere *d*; tamen hoc tempore conentur illa omnia uſurpare, quum Prophetæ *e* tam clare prædixerint abolitum eſſe eorum uſum in ſempiternum, & ubique terrarum pro vetere lege, ſacrificioq; nova ſubſtituenda. Euthymius in panopolia *f* recitat hæc eadem ex eodem Chryſoſt. contra eoſdem Judæos. Theodoretus hoc loco idem paucis verbis obſervat, dicens; quod hoc loco idem paucis verbis obſervat, dicens; quod hæc iniquos Judæos redarguunt, legem implere ſtudentes, & extra inſtitutos locos legalia perficientes. Iſidorus Peluſiota *g* Chryſoſt. diſcipulus attingit hunc eumdem ſenſum. Præterea exponit, quod ob captivitatem libertas Judæorum, animique fiducia extincta erat, ut macula ea, quæ in Ægypto, & ſolitudine, ac in Palæſtina contigerant, quæq; etiã adverſus Æthiopes, & Aſſyrios edita erant commemorare non liberet, aut non liceret: quoniam in captivitate degentes, fidem facturi minime eſſent, quaſi divina beneficia fruſtra jactarent, quum rebus ipſis coarguerentur utpote ἐστενωμένοι καὶ δουλεύοντες, proſtrati, abjectiq; ac ſervili jugo preſſi. Videbantur, inquit, illud uſurpare trium puerorum *h*, *Et nunc non poſſumus aperire os: confuſio, & opprobrium facti ſumus*, &c. Non modo Gregorius *i* Thaumaturgus ad ſe, ut antea dixi, præſentem accommodate locum paullo fuſius; ſed verſum quoq; iſtum. Joannes Francorum Rex ab Eduardo Eduardi III. Anglorum Regis filio captus, Anno 1356. Is quum in Anglia ad Vveſtimonaſterium equeſtri ludrico intereſſet triſtis, frontemque exporrigere rogaretur, ſubridens reſpondit: *Quomodo cantabimus canticum in terra aliena?* Narrat id Polydorus Virgilius k. Idem hoc inter adagia ſacra retulit *l*, ſcribens uſurpari, quum volumus innuere nos in exilio, in hoſtili ſolo; in ſervitute, aut aliquo caſu extra patriam agentes, ratione quadam non poſſe lætari, ac per hoc ne in divino quidem cultu acquieſcere.

Quomodo cantabimus.) Ante iſta verba in textu Chaldæo apud Nebienſem, illa alia exſtant, *Subito præciderunt ſibi Levitæ pollices dentibus ſuis, & dixerunt*. Si verum id eſſet, argueret magnam pietatem, qualis in anachoreta Marco fuit, qui pollicem præcidit, ne Sacerdos fieret, quem Evangeliſtam falſo quidam *m* arbitrantur, & affirmantem id Hieron. citant, ut & eadem de cauſſa proditur Ammonius autem præcidiſſe *n*; quidamque nomine Antonius *o*; qualis in quibuſdam virginibus, quæ vultus proprios, truncatis ſibi naribus, ne vis earum pudicitiæ inferretur, fœdaverunt; qualis in adoloſcente, qui præciſam dentibus linguam expuit in turpis fœminæ vultum, quæ nudatum, & conſtrictum, turpiter tractando ſollicitabat *p*; ut omittam ex vetere Romanorum hiſtoria. Cn. Vatienum, qui ſiniſtræ manus digitos, ne bello Italico militaret, amputavit *q*: quod & Poletronio ſimili de cauſſa feciſſe memorant, abſciſſis pollicibus. Magna porro ineſt vis voce *quomodo*, tamquam rem nefandam, & ſacrilegam ſic loquuti abhorrerent, rem factu prorſus impoſſibilem aſſeverarent. Nam quæ facta lædunt pietatem exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, ait Papinianus *r*, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. Heræ impudicæ caſtus famulus ad inhoneſta importune provocanti reſpondit? *Quomodo poſſum hoc malum facere & peccare in Deũ meum* ſ; Dixit etiam ſponſa; *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* t; Viro vere juſto impoſſibile videtur opus virtuti contrariũ inſigniter improbus, qui didicit malum, non magis poteſt benefacere, quam *mutare Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas* u. Non poterant Judæi credere, quia *excæcatis oculis, & indurato erant corde* x. Denique vehementia voluntatis circa aliquid impoſſibilitatis videtur habere rationem, ut Chryſoſtomus *y* docet; quemadmodum, inquit, dicere ſolet quiſpiam de quopiam. Non poſſum illum diligere: & de alio, Non poteſt ille fieri bonus.

Canticum Domini.) Chaldaicè in plurali, חשנחתא *thusbachtha, hymnos*. Babilonii per contemtum appellaverant *cantica Sionis*, quam diruerant; pii autem Hebræi vocant *cantica Domini*, quidquid tandem acciderit Sioni.

a fract; aut ſet. quod Cor[illegible] us ſit Deus tom. 5.
b Eſa. 58. 5.
Zachar. 7. 5.
c Dan. 3. 38
d Iſa. 29; 11. 22.
Amos 5. 2.
Sop[illegible] 9
M[illegible] 10. 11
f[illegible] tit. a fol. 105.
g lib. 3. epiſt. 51
h Dan. 3. 33.
i orat. paneg. ad Orig.
K 19. hiſt. Anglor.
l num. 147.
m Marulel. 3. c. 6. Rhodig. l. 10 c. 4. & alii.
n idem Marul.
p Hieron. in Paulo eremita.
q Rhodig ſupra.
r l. filius qui D. l. 28. tit. 7 de conditionibus inſtitutionum.
ſ Geneſ. 29. 9
t Cant. 5: 3
u Ierem. 13. 23
x Joan. 12
y hom. 67. in Joan.

In terra aliena. Alii, *in terra alieni*, ſive *alienigenæ*, nimirum populi, gentiſve alienæ à cultu Domini; vel in terra Dei, alieni, peregrini, falſi. Nam fœminini generis nomen eſt, ac in regimine, אדמת *admath*, & maſculini נכר *nechar*. Appellando etiam *terram alienam*, ſignificare voluerunt ſe illic tantum ad tempus hoſpitari. Etſi vero ubivis terrarum degas, peregrinis in hoc mundo, nec *habeas civitatem permanentem* z; tamen terra Chanaan peculiariter electa erat à Deo, ut in ea coleretur, & ubi veluti ſedem figeret cum peculiari, electoque populo ſuo. Propterea populus hic exterum ſe, ac inquilinum arbitrabatur in qualibet alia regione: paratuſque erat ad reditum, & eum expectabat; nec futurum ex Babylonia dubitabat, exacto tempore, quod Jeremias *a* vaticinatus fuerat. Cantantur hymni, & cantica Domini in hac ipſa terra peregrinationis, exilii, captivitatis noſtræ; ſed non eo modo, quo cantaturi eramus in Paradiſo terreſtri, nuncque cantantur in cœlo à Beatis; atque, ut dixi, *cantabiles ſunt nobis*, ac etiam decantare *juſtificationes Domini in loco peregrinationis noſtræ* b. Cantica mundi, eorumque, qui fixas in eo ſibi ſedes conſtituunt, vel potius fingunt, vel ita ſe gerunt, quaſi numquam diſceſſuri; & ut ille ajebat, ita ædificant, quaſi numquam morituri; ita convivantur, quaſi cras morituri, hincque more pecudum abituri, ſunt valde incondita, & abſona; quæ Joſue quidem judicavit ululatus pugnæ, clamores adhortantium ad pugnam, vociferationes compellentium ad fugam: ſed Moyſes divinitus edoctus, voces cantantium *c*; ſcilicet qui adoraverant vitulum, choroſque egerant. Talibus divina cantica non bene ſonant, intelligibilia ſunt, barbara videntur, horrorem incutiunt; nauſeant ſuper manna, delectant illos cepe, porri, alia, cucumeres, penopes, piſces Ægyptiaci *d*. Alienis, & peregrinis divinæ voces abſonæ ſunt, barbaræque: glande veſci ſolitis inſuaves deliciæ cœleſtes; ægri eorum animis *bona abſcondita*, & exquiſita perinde ſe habent, ac ſi *ori clauſo* propter inappetentiam *offeruntur*, aut *epulæ circumponerentur ſepulchro* e. *Muſicam impedit*, qui ſcientia illius caret, aut etiam non diligit *f*; *nec effundi ſermo debet, ubi non eſt auditus* g: egent numeri muſici compoſito animo, & attenta aure; ubi Babylonia, ibi nullus ordo, ſed confuſio, perturbatio, ſtrepitus, Vacuo curis animo, qualis eſſe in conviviis ſolet, opportune Muſica comparatur, ut Sapiens *h* prodidit. Silentia divinis excipiendis neceſſaria ſunt ſonis, præſertim quidem animi; ſed ad hanc quoque conducunt externa non modicè. Chriſtus ipſe preces quieti, locíſque ab hominum commercio ſemotis fere tribuebat *i*, non ſeceſſione opus habens; quum nihil eſſet, in quod omnia implens colligi, contrahique poſſet, Verum inquit Nazianzenus *K*, ut nobis nonnihil conquieſcendum diſceremus, & animo minime turbido cum Deo, ac rebus divinis verſandum. *Quum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Dei ſermo à regalibus ſedibus proſilivit* l, *Verba* quoque *ſapientiam audiuntur in ſilentio* m. Quo ſpectat attentio debita ſermonibus divinis, & officiis. Quo nomine Nonnam matrem laudat Nazianzenus *n*, quoniam in ſacris conventibus, aut locis; numquam illius vox audita eſt, exceptis neceſſariis, & myſticis, ideſt, Elia Cretenſe interprete, quæ ad ea, quæ pronunciantur à Sacerdotibus, à plebe apte accinebantur, Diligenter hac de re Joannes Stephanus Duraſtantes *o* agit, Lectu digna; præterea quæ Caſſianus *p* narrat de incredibili quodam ſilentio convenientium ad ſynaxim, ſeu ſolemnitate Ægyptiorum Monachorum, numero quamvis maximo: ita ut præter illum, qui conſurgens Pſalmum decantabat in medio nullus hominum penitus adeſſe crederetur, non ſputum, non execratio, non tuſſis, non oſcitatio, non gemitus, non ſuſpiria, non vox ulla alia audiretur. Iſidorus Peluſiota *q* lineum Aaronis veſtimentum, laneo depoſito, quum vacaret ſacrificiis, denotaſſe voluit externos tunc omnes abijciendos tumultus, & quod templis πᾶσα σιγὴ κεχρεώστηται, *omne ſilentium debetur*: Tractavimus & nos hoc argumentum ſilentii alibi *r*.

z Heb. 13. 14
a cap. 25. 11 & ſeq. c. 29 10. & ſeq.
b pſ. 118. 54.
c Exod. 32. 17 18
d Num. 11 5. 6.
e Eccleſiaſt. 30. 18
f cap. 32. 3
g verſ. 4
h ibid verſ. 7. 8
i Luc. 6. 12
k oratio 18
l Sapient. 18 14 15
m Eccl. 9. 17
n orat. 19
o 1 de ritib. Eccl. c. 26
p 2. inſtitut. cap. 10 Ægyptiorũ Monachorũ convenientium ad ſynaxim mirabile ſilentiu
q l. 1. ep. 45.
r in Eccl. 6. 3 in Act. c. 13. 16. in pſ. 33. 14. in pſ. 38. 2. in 1. Petr. 1. 19

Verſ. 5.) Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea.

Verſ. 6.) Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.

Si non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ.

Senſus loci. QUi priore verſu negaverunt, ſibi fas eſſe, aut fieri poſſe, ut cantarent canticum Domini in terra aliena; nunc veluti unius ore, ac voce confirmant cum juramento imprecatorio, & execratorio, ſed id nulla ratione facturos; nec umquam oblituros dulcis, charæque patriæ, tum aliis de cauſſis, tum præſertim, quoniam in ea coli Deus voluit, & extra illam id fieri ſolemni ritu, vetuit; obliviſcerentur autem, ſi Levitæ organa pulſarent, ut faciebant in templo, & cantica cantarent in Dei honorem, ibidem cantari ſolita: nimirum quaſi depoſita ſpe vel voluntate revertendi in patriam; jam exilii locum habere pro patria hujuſcemodi facto viderentur. Imprecatio autem execratioq; eſt, ut ſi obliviſcatur ipſe Jeruſalem, pulſando in terra aliena inſtrumenta muſica, quę ſuſpendit in ſalicibus, ne pulſaret dextera manus, quæ pulſaverit, detur oblivioni, hoc eſt, exareſcas, pereat, nulli ſit uſui, abjiciatur ut facile ſolent ea, quorum nulla nobis cura, tradi oblivioni. Deinde, ut lingua, ſi forte cantare canticum Domini conata fuerit, immobilis adhæreſcat palato, ac faucibus. Tandem utrumque hoc malum imprecamur, non modo ſi prout dictum eſt, oblitus fuerit Jeruſalem, nec ejus continuam ſervare memoriam ſtuduerit; verum etiam, niſi ante omnia curaverit, ut initium, principatus, ſumma omnis lętitię ſuę ſit, & conſiſtat circa Jeruſalem: & niſi interim, dum reditum expectant, & inſtaurationem civitatis, ac templi, aliud, quam lugubre carmen celebraturi ſint, & fletibus Deum gemitibuſq; pro tanto iſto beneficio, ac pro peccatorum venia, quorum meritas luant pęnas, abſq; ceſſatione ſollicitaverint. Volebant id maxime Babylonii, ut cantionibus patriis in ipſa captivitate deliniti, occupatiq; priſtinæ libertatis obliviſcerentur, nec patriæ amplius meminiſſent: patriam demum ſuam reputarent locum exilii, atque captivitatis ſuæ. Analogia cœleſtis Jeruſalem in promtu eſt, ſive melioris civitatis, *cujus artifex Conditor, præparator Deus* a, vocaturque *civitas Dei viventis*, ubi *frequentia Angelorum, & Eccleſia primitivorum* b. Memoria iſtius ſemper continenda, vel dum reddi beri optatur, inquit Hilarius, vel dum fletur amiſſa. Amiſſam intelligit, & redhibendam, propter opportunitatem præſentis temporis, in quo recuperata peccator juſtitia, gratiaq; jus, quod amiſerat, in beatitudinem recuperat. Alioqui verum eſt diſcrimen, quod affert Chryſoſt. inter Hebręos, qui cùm excidiſſent à materiali Jeruſalem, ſpem reditus habuerunt & inter nos, quibus nulla reliqua ſpes eſt reverſionis, poſtquam exciderimus à Jeruſalem cœleſti & beatitudine, ſcilicet ubi hinc ex vita pręſenti migraverimus. Oblivionem fieri dexteræ noſtrę idem Hilarius magni periculi rem ait eſſe, quia omnes qui ſpei bonæ pleni ſunt, dexteræ deputantur, peccatoribus in ſiniſtra collocandis c. *Adhęrere linguam faucibus*, ne videlicet laudare valeant Deum quod continuata voce beatæ, æternæq; faciunt virtutes; concinentes triſagion hymnum *d* interpretatur ſtatum damnatorum, qui mortuorum modo taciti in Dei laudibus viventes, recte ſepulchro patenti ſimile guttur habere cenſentur *e*, & emortuam in laudes Dei vocem. Poſtremo principium, & exordium guadii ac lætitiæ, cauſſamq; ſubjectam illius juſto docet eſſe, quod in Jeruſalem receptus, immortalis ex mortali erit; quod angelorum frequentium cœtui admiſcebitur; quod in regnum Dei recipietur; quod conformis gloriæ ipſius fiet. Auguſtinus, Proſper, & alii eumdem fere ſenſum conſectantur, ac ſi pœnam oblivionis patriæ cœleſtis imprecentur ſibi, illius immemores, ejuſdem jacturam, nec aſſidere judicis dexteræ, nec opera Deo accepta eſſe: tandem obmuteſcere ad laudem Dei, quas beati perpetuo decantant. Notum illud ac tritum diſcrimen dexteræ ac ſiniſtrę pro bonis ęternis ac temporalibus; eleganter idem Auguſt. tractat, & filios alienorum, ut in alio pſalm. *f* habetur, illos eſſe, *quorum dextera eſt dextera iniquitatis*, beatumq; dixerunt populum cui ſint bona externa: non *cujus Deus ejus*, Id plane perverſum ac præpoſterum oſtendit eſſe morali quadam per apta ſimilitudine, documentoque ethico. Nonne corripis, ait, eum de qui ſiniſtra voluerit manducare? Si menſæ tuæ injuriam putas fieri manducante conviva de ſiniſtra; quomodo non fit injuria menſæ Dei, ſi quod dextrum eſt, ſiniſtrum feceris; & quod ſiniſtrum eſt, dextrum feceris?

Analogia.
a Hebr. 11: 10 16.
b cap. 12. 22. 23.
c Matt. 25. 33.
d Eſa. 6. 2. 3
e pſ. 5. 11.
f pſ. 143. 11.

Si oblitus fuero tui Jeruſalem.) In textu Chaldæo Nebienſis præponuntur iſta, *reſpondit vox Spiritus Sancti & dixit*. Imprecationis, & execrationis vis magna, ſoletq; uſurpari, cum quid minime nos, aut maxime velle ſignificare volumus. Utitur votis Propheta per τὸ ἀδιανόητον, inquit Lindanus, quia nemo poteſt digitorum ſuorum obliviſci, & per execrationem, ut amorem ſui erga Dei cultum demonſtret. Talis erat in pſalmo 7. g *Domine Deus meus, ſi feci iſtud*, &c. *decidam merito ab inimicis meis inanis*, &c. & in 131. h *Si introiero in tabernaculum domus meæ*, &c. ubi ſub intelligitur imprecationis materia: quemadmodum & in 88. i *ſemel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar* &c. & in 94. k *ſicut juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*; pręterea in Jeremia l, *ſit Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei ſi non juxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus*; & alibi *m*. Ineſt pręterea exaggeratio hyperbolica duplex, oblitæ obliviſcentiſve dexteræ, & linguæ faucibus adhærentis. Tanta, & adeo conſtans; confirmataque aſſeveratio admonet nos, quam firmiter cum animo noſtro proponere debeamus, ut omnes offenſæ divinæ, ac oblivionis ejuſdem, pręceptorumque illius, occaſiones devitemus. Hanc infigit ſibi crebro memoriam Vates noſter, & oblivionem à ſe deprecatur in pſalmo 118. *n* adhibito etiam juramento *o*; *& zelo tabuiſſe ſe* teſtatur, *quia obliti eſſent Dei verba inimici ſui* p. Magni nimirum refert bene vivendi agendiq; voluntatem, ac propoſitum ſæpius & ſerio renovare, ſeſeque adverſus omnia peccandi pericula hac ratione comparare: Dominique paſſionem quæ in diem paraſceves, ideſt, præparationis incidit, ut Bernardus *q* obſervavit hoc modo celebrare, ipſumq; Paſcha, quod eodem die celebratum eſt, *& tranſitum* ſignificat: ne *ſicut piſces hamo, aveſque laqueo comprehenduntur, ita nos* incauti, & improvidi *capiamur in temporale malo, cum nobis exemplo ſupervenerit* r. *Ut ſignaculum poni* Deus debet *ſuper cor, & brachium* ſ, hoc eſt, ne cor, & opera ipſum obliviſcantur; quemadmodũ ille *in manibus ſuis deſcripſit nos, ac in oculis ſemper habet* t. Quantum nefas, *non recordari manus Dei, die qua redimit nos* u: *obliviſci Dei creatoris noſtri* x: obliviſci ejus, diebus innumeris, qui longe abſque comparatione tradi minus debuit oblivioni, quam à *virgine ornamentum ſuum, aut à ſponſa faſcia pectoralis* y, aut *à muliere infans, ut non miſereatur filio uteri ſui* z: non recordari ejus qui pauper; ac egenus factus propter nos, *per ſapientiam ſuam liberavit obſeſſam urbem* a; & liberum aperuit aditum ad beatitudinem.

Oblivioni detur dextera mea.) Hieron., *in oblivione ſit dextera mea*. Alii activà, *obliviſcatur dextera mea*, nempe pulſationis, aut artis muſicæ, aut omnis operis, ita ut ſtupida inutiliſque reddatur, & ad pulſandum, & ad quodvis opus efficiendum. In Pſalterio vetere, Romano, Ambroſiano, apudque Hilarium, Auguſtinum, Proſperum, Caſſiodorum, *obliviſcatur me dextera mea*. Sed Hilarius videtur præferre lectionem noſtram, in qua paſſivè ſumitur ſententia, ut oblivioni tradatur dextera: quoniam Græcè eſt ἐπιλησθείη ἡ δεξιά quo inquit, non ut ipſa obliviſcatur, ſed ne oblivio ejus fiat oſtenditur. Chryſoſtomus, Baſilius, Theodoretus, Euthymius, Nicephorus activè ſumunt, ut ipſa dextera obliviſcatur eum cujus eſt, ideſt, ut vires, robur, efficacia, movendi, & agendi vis vacet, ac pereat, ſicque obliviſci cenſeatur facultatis ſuæ, & muneris, & qui dexteram habet, videatur obliviſci ſe illa, & potentia aræditum eſſe. Theodoretus explicat dexteram Dei, pro ipſius auxilio, ut ſcilicet quodammodo obliviſcatur ſuo auxilio opitulari ei qui fuerit oblitus Jeruſalem. Auguſtinus, & alii, qui activè quoque accipiunt intelligunt de ipſa felicitate, quam dextera deſignet. Cajetanus eadem uſus tranſlatione etiam ex Hebræo, in genere de quavis proſperitate. Parum ſolide videntur quidam *b* vim facere in Latina phraſi, *oblivioni detur*, quaſi denotet irrevocabilem æternamque oblivionem, cui dari dexteram ſuam populus imprecatur. Nil tale innuit תשכח *iſchach*, & ἐπιλησθείη aliique Latinè reddunt *obliviſcatur*. Nonnihil etiam Hugonis allegoria dura, ut *oblivioni detur dextera noſtra*, ideſt, ut Chriſtus, qui dextera Patris dicitur, & aſſumſit naturam noſtram; noſtri obliviſcatur. Imprecationis formulas congerit Ovidius plurimas in Ibin, cum iſta nonnullam ſimilitudinem habet ille verſus:

g verſ. 5. 6
h verſ. 3. 4. 5
i verſ. 36.
K verſ. 11
l cap. 42. 5
m Ruth 1. 17 1. Reg. 25. 22
n verſ. 11. 16 20. 30. 52. 55; 61. 93. 97 109 117. 141. 153 176.
o verſ. 106.
p verſ. 139.
q ſerm. 3 de Vigil. nativ
r Eccleſ. 9. 16
ſ Cant. 8. 6
t Eſa. 49. 16.
u pſ. 77. 42.
x Deut. 32, 18
y Jerem. 2. 32
z Eſa 49. 15.
a Eccl. 9. 15. 10. 15.
b Jo. Marul
Allegoria paullo durior.

Nec poſſis captas inde referre manus,
ut & cum ſequenti de lingua.
Sic ſit in exitum lingua proterva tuum.

Sunt aliæ imprecationes, ac diræ apud Ovidium in Epiſtola Hypſipyle, Horatium in Canidiam veneficam, Virgilium in Æneide *a*, Catullum de Ariadne, Senecam in Oedipo, Sophoclem in eodem, Statium *b*, Herodotum in Thalia, Collimachum in Apollonium Rhoditum, Conſtantinum Harmenopulum de Leone; & Alexandro Imperat. in præfat. Collegit hæc Delrius noſter in Senecam, & alia Lævinus in Horatium; ante utrumque Briſſonius in formulis libro primo, & vocantur præterea execrationes, devotiones, obſecrationes. Sed ſunt pleræque fere omnes in alios. Ejuſdem in ſeipſum exemplum Briſſonius affert de Mecænate.

a 1. & 4.
b 1. Theb.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa
Tuber adſtrue gibberum
Lubricos quate dentes
Vita dum ſupereſt, bene eſt;
Hanc mihi vel acuta
Si ſedeam cruce, ſuſtine.

c epiſt. 101.
d 4. Æneid.

Turpiſſimum hoc Seneca votum vocat epiſtola quadam *c*, quo & debilitatem non recuſavit, & deformitatem, & noviſſime acutam crucem, dummodo inter hęc mala ſpiritus prorogaretur: Didonis imprecatio Virgiliana *d* aptior propoſitio.

Sed mihi vel tellus opto prius immo debiſcat
Ve Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras:
Pallentes umbras Ebrei, noctemque profundum
Ante pudor quam te violem, aut tua jura reſolvam.

e lib. 26. var lect. cap. 9
f pſ. 19. 18.
g verſ. 19.
h pſ. 87. 6.
i Mat. 6. 4.
K pſ. 118. 91.

Ex Græcis ſimilia colligit Petrus Victorius *e*. Graviſſima imprecatio, ut *oblivioni detur dextera noſtra*, ſive intelligas adimi facultatem, ac negari gratiam, efficacē pręſertim, ad operandum, ſive beatitudinem aſſignatam dextera operanti, & dexterum locum tenenti. Denique *convertuntur peccatores in infernum & omnes gentes, quæ obliviſcuntur Deum f*, cum *non in finem oblivio ſit pauperis* g *& quorum non eſt Deus memor amplius, de manu ejus repelluntur h*. Obliviſci ac *neſcire* oportet *ſiniſtram quid faciat dextera i*; ut dextere, honeſteque, & ad meritum, ac ad Dei laudem C memor Dei atque beatitudinis, *propterque* Deum *& retributionem k* cœleſtem valeat operari: alioqui turpe eſt, ut ante Auguſtinum dicere audivimus, in rebus animi ſi quis operetur ſiniſtra; quod debet dextera. Puerorum educatores, ne hi ſiniſtra operari aſſueſcant, hanc ſtringunt; ſolamq; liberam dexteram relinquunt. Hoc in nobis quantum ad ſpiritualia, faciunt, funiculi charitatis, & vincula timoris divini. *Si obliti ſumus nomen* Dei *noſtri, & expandimus manus noſtras ad* Deum *alienum* (ut invocemus, aut muſica inſtrumenta in ejus pulſemus honorem, quod hic facere detractant pii Hebræi) *nonne Deus requiret* l *iſtam*. Deplorat Bernardus *m* eos, qui in religionis habitu, & propoſito degunt perfectionis, nec illos terribilis hæc ſententia comprehendiſſe videtur; quoniam ſiniſtri cuſtodiæ lateris (adde & manu] tota ſolicitudine incubant, & ſapientia ſæculi, cui abrenunciaſſe debuerant. Tandem admonet dextri negligentem, ſiniſtri autem lateris cultorem, ne cum hœdis locum accipiat in ſiniſtra, quam elegit. Siniſtræ nulla hic mentio, quamvis ejus in pulſandis inſtru- D mentis muſicis, maxime in Pſalterio, uſus neceſſarius ſit: quoniam juſtus ambidexter eſt, ut Aod *n*, & ſeptingenti viri fortiſſimi Tribus Beniamin *o* revera filii dexteræ, quod Beniamin ſignificat; & *arma juſtitiæ à dextris ſunt & à ſiniſtris* p: nec ſit juſtus *quid interſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam* q: denique geſtat coronam non in capite ſolum, ſed etiam in dextera; ut qui olim viciſſet antagoniſtant, ut ſcribit Pauſanias *r*, & alii apud Athenæum *ſ*; de qua re in opere coronario Carolus Paſchalius *t*; moriſq; ejuſdem Chryſoſtomus *u* meminit.

l pſ. 43. 21.
m ſerm. 7. in pſ. 90
n Iud. 3. 15.
o cap. 20. 16.
p 2. Cor. 6. 7.
q Jona 4. 11.
r lib. 6.
ſ lib. 5.
t l. 5. cap. 6. l. 6. cap. 6.
u hom. 2. de David. & Saul.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.) Hieron., Hilarius, Arnobius, *gutturi*, Alii, *palato*: ſunt חֵךְ *chech* & λάρυγξ. Et hic, & in priore verſu videtur quamdam talionis pęnā imprecari, & quia inſtinctu quodam naturæ videmur noſtras injurias iiſdem compenſari rebus velle, in quibus eas accepimus; etiamſi poſſemus in majoribus. Sic inhumani in Joſeph fratres, ſimile quod juſte poſtea compulſi ſunt experiri *x*; David noſter in eadem reluit in qua lęſerat Uriam *y*: Job ſibimet imprecatur ſimilia mala his quibus alios affeciſſet, nempe ſi reipſa illos aliis affeciſſet *z*, quando manu expenſe Jeroboam apprehendi Prophetam juſſit, eamdem retrahere nequivit ad ſe *a*. Deniq; *per quæ peccat quis, per hæc, & torqueri eum* decet *b*, & ut *qua menſura menſi fuerimus, eadem remetiatur & nobis* c. Ad hunc itaq; modum populus, aut Levitę, ſi quod rogantur, præſtent, ut cantent *de canticis Sion*, imprecantur ſibi linguæ ſtupiditatem, & ad guttur, palatum, fauces, adhæſionem, ut moveri ad formandas voces non valeat. Eſto, & tu memor Jeruſalem cęleſtis, Denique, nec dubita cum una manu, oculo, pede, ac ſine lingua etiam, ſi ſit, opus intrare in regnum cęlorum, potius, quā bis pręditum *mitti in gehennam ignis* d. Quod ſi etiam opus fuerit, curabit te mutum Chriſtus, ut *loquaris recte* e, & jubebit *aridam tuā extendi manum* f, ut pulſare, & cantare poſſis, ideſt, opere verboque ipſum laudare. Saliva, humoreque oris ſui linguam muti curavit Chriſtus. Non loquitur de Deo ac rebus divinis expedites, qui devotionis caret humore: habentis autem *adipe & pinguedine repletam animā, labiis exultationis os Deum laudat* g; *melque & lac ſunt ſub lingua* h ipſius. Præ ſitis ardore ac vehementia interdum adhæret lingua ad palatum, ut de lactante deploravit Jeremias *i*; B & longe dirior; ac durior ad tolerandium ſitis, quam famis Hoc ſitis juſtum ſupplicium, ut abuſus divino nectare ad prophana, in medio uſitatæ aquæ fonte tamquam Tantalus, ſitiens diſcrucietur, aut velut Iſmael mortis diſcrimen incurrat k, quemadmodum philoſophatur Euthymius, interpretans per *dexteram* opera, per *linguam*, contemplationem ſuam, per *guttur* ait intelligi poſſe gulæ affectum, ciborumq; voluptatem; ut ſit ſenſus; oblivioni detur omnis mea operandi potentia, atque hoc per ipſam ignaviam; & omnis mea ſimiliter contemplandi virtus ciborū adhęreat voluptati: ita ut ad divinæ ſcientiæ delectationem de cetero immobilis fiat, & in ea amplius non verſetur: Nazianzenus *l* de illis, qui baptiſmum, vel pœnitentiam, differebant. Joannis pater ſe nōdum pater, quia juxta proprii nominis etymon minus Dei memor fuit, non credendo linguæ uſum amiſit; recuperavit autem filius gratiam Dei in ipſo ſuo vocabulo pręferens; natus firmiorem quaſi memoriam de Deo, & fidem in ullum in eo impreſſit *m*. Cum David ex inſigni pręedone, jamq; grandior ętate anachoreta factus, ac plurimum in ſtudio perfectioris vitæ promovens, nuncianti angelo remiſſa ſibi peccata, minime crederet; ac proinde parum ei pœnam, quam quondā Zacharias pertulerat, angelus comminatus eſſet, ille ſupplex deprecatus eſt; ut qui tot prius patrans ſcelera, loqui potuiſſet, nunc, quando ſervire Deo vellet, laudeſq; illi offerre, ne hoc præſtandi facultas ſibi adimeretur. Reſpondit Angelus, cùm impleret pſalmodiæ canonem, loquuturum præter canonem vero penitus taciturum. Quod & factum eſt, plurimaque per illum Deus miracula oſtendit. Narrat hoc Auctor Prati ſpiritualis *n*.

x Gen. 42.
y 2. Reg. 12.
z Job 31. 21. & ſeqq.
a 3. Reg. 13. 4.
b Sap. 11. 17.
c Mat. 7. 2.
d cap. 5. 29; 33.
e Marci 7. 35.
f cap. 3. 5.
g pſ. 62. 6.
h Cant. 4. 11.
i Thren. 4. 4.
Satis ad tolerandum dugquæ fames.
K Gen. 21. 26.
l orat. 40.
m Luc. 1. 23. & ſeqq.

Si non meminero tui.) Exaggerata, & magis aſſeverata oratio. Hebræo idiotiſmo, rem eamdem affirmando, & negando exprimere; ut de Joh. Bapt. Joh. Evang. o *Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt*. Hic etiam ſubditur alia negatio. *Si non propoſuero, &c.*

n cap. 111.
o cap. 1. 20.

Si non propoſuero Jeruſalē in principio lętitię meæ.) Eodem prorſus modo Hieron. Alii, *ſi non aſcendere fecero Jeruſalem ſuper caput lætitiæ meæ*, ideſt *ſi non extulero* vel *ſi non poſuero Jeruſalē in cacumine ſummo lætitiæ meæ.* ideſt, ſi non omni lætitiæ propoſuero Jeruſalem; ſi præcipuum gaudium non poſuero in recordatione Jeruſalem; ſi non ſemper, quoties ſe ingeſſerit occaſio lætitiæ, verſabitur ante oculos Jeruſalem, ut priuſquā incipiam lætari, excitet mihi lacrymas recordatio Jeruſalem tam turpiter vaſtatæ; ſi lætari umquam cæpero, aut interius ex animo, aut exterius per cantica, inſtrumenta muſica, ſignaq; alia lætitię, niſi cùm rediero in Jeruſalem; ut hęc ſit mihi cauſſa primæ lætitiæ. Itaq; ſenſus eſt, vel in exilio repreſſurū ſe lætitiam, revocando ſtatim cum mæſtitia memoriā vaſtatæ Jeruſalem: vel nullo modo ibi lætaturum; ſed primū lætitiæ objectum futurum Jeruſalem, cum eo redire licuerit, & pervenire. Deniq; tanti facturum Jeruſalem, ut lætitiam omnem aliam poſtponat lætitiæ de ipſa, & præ deſiderio hujuſmodi lętitię, ceteras reſpuat, vel obiter admodum admittat. Nō habebit principium lętitię mea, inquit Arnobius, niſi ad te rediero, nempe ad Jeruſalem, quā idem cognominat dulcem in caſtitate, puram in ſimplicitate, lenem in correctione, mundam in converſatione Eccleſiam intelligit militantem; ſed & ad triumphantem poteſt hoc votum pertinere, ubi, ut ſcribit hoc loco Aguſtinus, ſumma jucunditas: ubi Deo fruitur beatus; ubi de fraternitate cohærente, & civica ſocietate ſecurus eſt; ubi nullus tentator violat, ubi nullus vel ad aliquam illecebram percellere poteſt; ubi nihil delectat niſi bonum; ubi moritur omnis neceſſitas, ubi oritur ſumma fœlicitas. Legit Hilarius, *ſi non propoſuero Jeruſalem in principio jucunditatis meæ*. Auguſt. eodem pacto, ſed *præpoſuero*. In quibuſdā codicibus Hilarii textus pſalmi habet, *ſi non propoſuero Jeruſalem principium lætitiæ meæ*. Et in commentario etiam eſt, *initium*. Habent Pſalterium vetus, & Romanum atq; Proſper, *ſi non præpoſuero Jeruſalē in principio lætitiæ meæ*. Græcum verbum προανατάξομαι ſignificat *præpoſuero, priori quaſi loco ordinavero*, ſeu *diſpoſuero*. Apollin. explicat προβαλέσθαι, *præponere & præmittere*. Chryſoſt. προανακρούεσθαι, *præpulſare, præcinere*, nempe in hymnis, canticiſq; & in pulſatione muſicorum inſtrumentorum, quæ ad lætitiam ſpectant. Sed apud Latinos *præ*, & *pro* ſæpius idem valent: ita ut non ſit neceſſe dicere, *præpoſuero*, & non *propoſuero*. Adittur præterea in textu Græco comparationis adverbium ὡς *ſicut* ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς εὐφροσύνης μου *ſicut in principio lætitiæ meæ*. Symmachus omiſit ὡς Aquila vertit, ἐπὶ κεφαλὴν εὐφροσύνης μου *ſuper caput lætitiæ meæ*. Chaldaicè, *niſi aſcendere fecero Jeruſalem in memoriam bonam in initio cætuum miniſtrorum meorum*. Vel juxta verſionem Nebienſis, *niſi aſcendere faciam in memoriam Jeruſalem in caput lætitiæ ſervorum meorū*, aut *miniſtrorū*. Hac ratione populus hoc loco loquens vocaret ſervos, & miniſtros ſuos Levitas, ideſt Dei, ſed à Deo datos, ad tractandas res ſacras in utilitatem communem. In Hebræo textu ſic eſt, על ראש שמחתי אעלה את ירושלם *abhaleh eth Jeruſcialaim hhal ros ſcimchathi*, *aſcendere faciam ſuper caput gaudii mei*, vel *ſuper principium principatum ſummam*. Quę omnia ſignificantur per nomen ראש *ros*, quamvis prima notio ſit pro capite, quod etiam redditum notavi ab Aquila per κεφαλήν. Aliud autem vocabulum ἀρχή & *principium*, ſive *initium* ſignificat, & *principatum*. Latinè etiam Interpres nonnumquā vertendo ἀρχή *principium*; ut in Pſalmo 109. *a* vidimus, per *principium (principatum)* intellexit, *Tecum principiū in die virtutis tuæ*, Hebraicè in plurali, נדבות *nadavoth*. In moralibus ultimus finis, eſt primum principium. Hic eſt Deus, & ſummum bonum, fœlicitaſq; quam cœleſtis Jeruſalem denotat. Mater Jeruſalem, civitas ſancta Dei, inquit Auguſt. *b* chariſſima ſponſa Chriſti, te C amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium deſiderat mens mea. Verus amator Dei non conſiſtit, non otiatur; procedit, & magna operatur; non contentus non obliviſci, & meminiſſe, præponit illum rebus omnibus. *Sicut* c *oſtiū volvitur in cardine, ita piger* in eodem tepido propoſito, & eadem vivendi ratione circumagitur: & quod ait Nazianzenus *d*, idem illi accidit, quo trochis, qui volvuntur in orbem, atq; veluti in monte rotantur ſcutica impulſi. Similis eſt juſtus Joſepho, qui bis appellatur *filius accreſcens, & decorus aſpectu e*: & Davidi, qui *proficiebat, & ſemper ſeipſo robuſtior evadebat, domus autem Saul decreſcens quotidie f*. Nullæ res eum aliæ lætæ abſtrahere poſſunt à memoria Dei, & à delectatione, quæ inde naſcitur: *renuit conſolari* per ſe in aliis, ſed ilico *memor Dei, afficitur delectatione g*. Multi in abundantia obliviſcuntur, & confœderant quodammodo inter ſe fratres Ephraim, atque Manaſſem; qui duo illa etymologicè ſignificant abūdantiam, & oblivionem. Cave ne affluentibus tibi ex animo rebus iſtis ſecundis, Dei obliviſcare, ſed reprime memoria abſentis veræ beatitudinis, ac timore illam non obtinendi, quamlibet ſeſe offerentem aliam voluptatem, D lætitiamque, quam quidam Propheta *b* rectè dixit *eſſet in nihili*. Quæ major exaggeratio eſt, quam ex Jonæ hedera, *ſuper qua lætatus eſt lętitia magna*, cum nocte una creverit, exciſaque ſit *i*. Vocare poſſit cum Poeta K.

a verſ. 3.
b med. c. 25.
c Prov. 26. 14.
d orat. 3.
e Gen. 49. 22.
f 2 Reg. 3. 1.
g Pſ. 76. 4.
h Amos 6. 13.
i Jon. 4. 7. 10.
K Virg. 6. Æneid.

—— *Supremam falſa inter gaudia noctem.*

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidē, inquit Seneca *l*, tamquam ſupremam, agunt. Illud gaudiū, quod deos, deorumq; æmulos (Deum, Deiq; æmulos) ſequitur, non interrumpitur, non deſinit: deſineret, ſi ſumtum eſſet aliunde. Sed quia non eſt alieni muneris; nec arbitrii quidam alieni; (præterquam Dei, qui auctor ejus eſt] quod non dedit fortuna,) alia quævis cauſſa extrinſeca) non eripit. Sic ille. Caſſiod. negat principium lætitiæ, cui præponenda Jeruſalem, ideſt, Eccleſia, (adderem, & in primis, cęleſti, civitas, & Deus) hic intelligi à Propheta, niſi de re honeſta. Quia vero principium lætitiæ (tam turpis, quam honeſtæ) ſemper validum, ſemper ampliſſimum eſt, quando in ipſis initiis voluntas accenditur gaudiorum, dum calore animi in lætitiam rapimur, quam vix provenire credebamus: omnia ſiquidem ſubita violenta ſunt; & quod diuturnum in hoc ſæculo fuerit, intepeſcit, idcirco notat ad exaggerandum fidei calorem, Davidem dixiſſe principio lætitiæ illam præponi, quam decet ſupra omnia plus amari. Difficile eſt contra vim irruentis initio voluptatis niti, & eam cohibere: ſed ſapiens conſilium id facere, *ne dolore riſus miſceatur, extremaque gaudii luctus occupet m*. Tenebant fortiter voluptatem in animi cogitatione Epicuræi, ut per priſtinarum deliciarum ſuarum recordationem mitigarent præſentis doloris aculeos *n*. Longe melius abſque dubio memoria futuræ beatitudinis, & gaudium in ſpe de illius adeptione omnem poteſt angorem præſentis exilii lenire. Numquid non plerumque orantibus nobis, ait Bernardus *o*, omnia viſcerum ſuccutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius, quod eſt in Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra, & lacrymarum unda vultus meditantium ſuperfundit? O ſi duraret? *Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui; ſi non propoſuero Jeruſalem in* B *principio lætitiæ meę*. Vere *in principio lætitiæ*, quia finis illic repoſitus eſt, &c. Principium gaudii illius, quod hìc quandoque ſentimus, ſtilla eſt, guttula eſt, de illo flumine deſcendens, cujus impetus *lætificat civitatem Dei p*. Quandoque veniet tempus, ut perennibus gaudiis non in ipſo divinitatis fonte profundius immergamur ubi unda undam ſine intercapedine, & interpolatione continuet. Hactenus ex Bernardo. Multiplex juſto lætandi cauſſa præſertim de Dei bonitate; de ſuæ conſcientiæ puritate; de proximi vera proſperitate. Prima optima, & ad eam aliæ referendæ, ut cum Eſther *q* affirmare poſſis, *Tu ſcis, quod numquam lætatus eſt ſervus tuus, niſi in te, Domine Deus*. Rupertus *r* accomodatitio ſenſu *Jeruſalem principium lætitiæ noſtræ* appellat B. Virginē, cui omniū primæ Chriſtus reſurgens apparuit: eaq; de cauſſa Romæ ipſo die Reſurrectionis ſtationem eſſe ad S. Mariā Majorem: cenſeri quoq; Jeruſalem, quia prima viderit pacem noſtram, ideſt Chriſtum, qui tunc maximè mundo pacem attulit. Aliter præterea nonnulli per accommodationem de Chriſto dicunt, quod in transfiguratione poſuerit *Jeruſalem in principio lætitiæ ſuę*, ideſt, exceſſum illum, quem C completurus erat ibi *ſ*; quoniam nullum ad illud uſque tempus lætitiæ, atque gloriæ ſtatum aſſumſerat.

l Epiſt. 59.
m Prov. 14. 13. Epicuræi præſentis doloris aculeos priſtinarum deliciarum recordatione mitigabant.
n Auguſt. 5 de civi. c. 20
o ſerm. 2. in id Apoſtoli, Non eſt regnum Dei eſca, & potus
p pſ. 45. 3
q cap. 14. 18.
r 7 de divin. Offic. cap. 25
Senſus accommodatitius.
ſ Luc. 9. 31.

Verſ. 7.) Memor eſto, Domine, filiorum Edom, in die Jeruſalem:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.

Senſus loci.

Hinc ad finem uſq; Pſalmi continetur imprecatio cū prædictione, ſive prædictio imprecatoria cōtra perſecutores, qui vaſtaverant Jeruſalem, & captivos inde abduxerant, ac ex Judæa, atq; captivos detinebant. In hoc verſu, directa oratione ad Deum, petit ab illo populus, ut quemadmodum ſub imprecatione profeſſus, ac proteſtatus eſt, ſe nullo umquam tempore obliturum Dei, & Jeruſalem, ipſius cultui deputatæ: ſi viciſſim non tradat oblivioni ſæviſſimos Idumæos, ad pęnas de illis repetendum; quoniā præ implacabili odio contra Judæos, hortati fuerant contra Babylonios, ſive Chaldæos, quos etiā juvabant, D & urgebant: ad evertendam funditus, ac ab imis fundamentis Jeruſalem, illo die, quo in ejuſdem civitatis everſione, & vaſtatione occupabantur. Iidem pręterea Idumæi interim, dū morabantur in captivitate Judęi partem Judęę occupaverant ſive vi, ſive concedentibus Chaldęis, quum etiā duceretur Sedecias Rex, & ante perſequebantur fugientes, atq; in exitibus viarum impediebant, ne elaberentur, reverſos autem de captivitate Judæos impediebant, ne reſtaurarent Jeruſalem *t*. Vaticinatus eſt Abdias *u* in Edom, quod propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem ſuū Jacob, operiret eum confuſio, & periret in æternum. Jacob, operiret eum cōfuſio, & periret in æternum. Conſtat magno Eſau, qui cognominatus eſt Edom, fratrem Jacob odio inſequutum *x*. Auctorem ſuū poſteri eadem in re imitati ſunt, cōtra quos vaticinia etiam extant Eſaię *y*: Ieremiæ *z*, Ezechielis *a* Amos *b*, tametſi ſint, qui de Iudæis interpretentur perſequentibus Chriſtianos, aut de Gentilibus aliis idem factitantibus: & Iudæi ipſi ad Romano inepte arbitrantur omnes

t 1 Eſdr. 4. 7 & ſeqq.
u verſ 10.
x Gen. 27. 41
y c. 21. & 34
z c. 25 c. 49. Thren. 4. 22.
a cap. 25. 14. cap. 35. 13.
b cap. 1. 3. & ſeqq.

omnes prædictiones iſtas pertinere, à quibus in hunc infęlicem ſtatum redacti ſunt, & ex quorum Idumæorum genere ajant Æneam fuiſſe. Diſſerit hac de re diligenter in Abdiam Ludovic. Legionenſ. & Ribera noſter. Syris, & Chaldæis adjumento Idumæos fuiſſe, quum regnaret Achaz, Scriptura teſtatur *a*. Myſticè oratio iſta eſt adverſus Eccleſiæ perſecutores, qui ſimiles Eſau, cui cognomen fuit Edom *b*, & poſteris ejus Idumæis, odio habent, atque vexant fideles, ac pios veros Iſraelitas, & ſecundùm ſpiritum *c*, ut DEUS hujus odii, perſecutioniſq; memor ſit, & meminerit diem laborum, & afflictionum, quas patitur; vel in die, ſeu in tempore iſto, in quo hæc ei mala cõtingunt; vel diem, ſive in die felicitatis ejus, qua eruitur à ſervitute captivitatis, & ad æternę patrię bona vera producitur; vel quando diſcernendi erunt alii ab aliis in judicio. Tandem, ut conſideret quando ſit hoſtium illorum ſævitia, ut non qualicumq; vaſtatione contenti ſint, niſi ipſum ædificii fundamentum, quod eſt fides, omnino exinaniant, & ſubvertant. Hugo addit eſſe orationem, ut dignetur DEUS illicitos motus carnis tamquam filios Edõ rufi, ſanguinei, carnalis, comprimere *in die Jeruſalem*, ideſt, in bonis, qui ſunt dies Eccleſiæ; quia *dies diei eructat verbum d*: dicunt vero motus illi, *Exinanite, exinanite uſq; ad fundamentũ*, hoc eſt, exterminate penitus Jeruſalem interiorem. Facit hìc Adamum loquentem is, quẽ vocant Hieron. ut meminerit Deus, quemadmodum diabolus ipſum deceperit, captivumq; fecerit. Paulinus Aquilejenſis *e*, juxta myſticum priorem de Eccleſia, & fidei fundamento ſenſum, accipit hunc locum, ſcribens, quod maligni ſpiritus uſq; ad fundamentum animam inaniter ſe exinaniſſe gloriantur; ſi ab ipſo fundo mentis, fidei firmitatem, tentationum jacula aggerando eradicare valebunt: ſcire namque nihil eſſe boni omne, quod videtur bonum, niſi fuerit ſuper fidei fundamentum firmiter radicatum. Gregorius *f* item ſcribit, quod inimici deſtruẽtes *uſque ad fundamentum Jeruſalem* exinaniunt, quando perverſi ſpiritus à corde fidelium, deſtructo prius ædificio boni operis, ſoliditatem quoq; exhauriunt religionis: id præterea eſſe, ut Jeremias *g* ait *conſtuprari uſque ad verticem*, hoc eſt, poſt malæ operationis uſum, etiam in ipſa fidei ſublimitate corrumpi. Rupertus *h* exponit de carnalibus & reprobis quamvis fidelibus, qui Eccleſiæ profitentur nomen, ſed oderunt religionem; hortantur vero ſemetipſos, ut exinaniant, vel evacuent omnem diſciplinam, vel religionem *uſque ad fundamentum in ea*, ideſt, uſq; ad nudum nomen Chriſtianum quo ſolum habere cõſentiunt, ut nomine ſint Jacob, ideſt Chriſti, operibus autem ſint Edom, & abſq. jugo vivant; orari ut memor ſit Deus horum *filiorum Edom in diem Jeruſalem*, ideſt retribuat retributionem ſuam imitatoribus Edom, in conſolationem Jeruſalem, in tempore tribulationis conſolationem videre cupientis: denique ſimilem videri han orationẽ prælati, vel patris cujuſcumquę timentis pro filiis, orationi Jacob *i*: *erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis*. Ambroſius K, innuit ſimilem ſenſum eſſe, qui vehementer incumbant miſeræ animæ, quærentes omne auferre præſidium: tamen quum caro repugnat, mentem ad Deum debere eſſe intentam: & ſi opera non ſequuntur, fidem non deſerendam; ſi impugnant vel carnis illecebrę, vel poteſtates adverſariæ, manere debere mentem DEO deditam; tunc enim maximè urgeri, quum caro cedit.

a 4. Reg. 16. & 2. Paral. 28. 17.
Sentus myſticus
b Gen. 25. 30 cap. 36. 1.
c Rom. 9. 6. 1. Cor. 10. 18 Gal. 6. 16.
d Pſ. 18. 3
e Cont. Felicem Urgiſta & in to. 3. Concil.
f 25. moral. cap. 10
g cap. 2. 16
h lib. 7. in Gen. cap. 3
i Gen. 32. 11
K 2. de pœnit. cap. ult.

Memor eſto Domine.) Alia Pſalteria Latina, & Hier. Hilar. Auguſt. Proſper, Caſſiod. creditus Hieron. *memento Domine*. Quod verbum congruit cum ea lectione ſequentis membri in quo quidam legunt non, *in die*, ſed, *diem*, quia, *memento*, regere poteſt eum caſum; *memento filiorum Edom, diem Jeruſalem*, nimirum etiam memento. Sæpius ante occurrit quo pacto Deus meminiſſe, aut memor fieri intelligatur, ſicut, & oblviſci, ac non recordari. Quum autem ſit indifferens memoria, & in utramq. ſumi partem poſſit, ex adjunctis dijudicandum in utram capi debeat. Hoc loco conſtat rogari, ut ad puniendum Deus ſit memor Paraphraſtes autem Chaldæus apud Nebienſem habet, *dixit Michael princeps Jeruſalem* Chaldaicè, *populi Edom* Refert Chryſoſt. alium legiſſe in dativo τοῖς υἱοῖς ἐδὸμ, *filii Edom*. Tunc fortaſſis accepit μνήσθητι tranſitive, ideſt. redige in memoriam filiis Edom diem Jeruſalem τὴν ἡμέραν, ut eſt in editione LXX redigere vero in memoriam eſt punire, ut dixi. Per *filios* autem *Edom* cognatos Judæis, eoq; crudeliores, & moleſtiores Idumæos intelligere debemus, de quibus, ac de Idumæa dictum hìc prius ſatis, & in aliis Pſalm. Vocant Chryſoſt. & Niceph. Arabas: Nec repugnat per ſynecdochen comprehendi nationes alias inimicas Judæis Imprecationem iſtam in Idumæis propriè ſumtis locum habuiſſe poſtea, quando Nabuchodonoſor magna clade affecit, negat in Abdiam citatus antea Legionenſis. Sed noſter ibidẽ affirmat Ribera, meliore, ut reor, de cauſſa. Nã Patres id aſſerunt, Hieron. Cyrillus Alexandrinus, alii quos id in hiſtoriis legiſſe perſuaderi poſſumus, quæ nobis interciderint. In libro quoq; Judit. *l*, eſt, quod *Nabuchodonoſor accepit civitates Idumæorum*. Quamvis autem Prophætæ quos prius memoravi, innuant penitus exſcindendos: & Joſephus, hiſtoriaq; Machabæorum ſacra ſignificet illos longe poſt Nabuchodonoſorem adhuc ſuperfuiſſe: potuit καθ᾽ ὑπερβολὴν, ut conſentiens hac eadem in re obſervavit noſter Delrius *m*, excíſa dici natio, cujus aliq; ſuperſtites reliquiæ fuerint, poſteaq; repullulaverint. Ridiculam illam Judæorum ſententiã de vaſtandis Romanis, qui per Idumæos intelligantur, confutant accurrate Burgenſis *n*, & Galatinus *o*; Ribera *p* præterea, proferens Hieron. *q*, qui propter ſimilitudinem ד *dalet*, & ר *res*, & quoniã ו pro *n* & pro *o* in illorũ lingua ſumitur, teſtatur aliquos Hebræor. pro דומה *dumah* ſcripſiſſe רומה *romach*. Agit hoc loco Valentia contra eoſdem. Bonum Galatini argumentum, ſi Romani ſunt Idumæi, quia Iulius Cæſar Idumæus apud ipſos regnavit, Iudæi cenſendi quoq; Idumæi, quoniam Herodes revera Idumæus, non falſo ut ille alius, regnavit immediate apud illos. Deinde ſoli poſteri Iaphet Europam inhabitarunt, ut elicitur ex Geneſi *r* Ioſephoq; *ſ*, Idumæi autem ex Edom, ſive ex Eſau, qui eo modo cognominatus eſt *t*, ad genus Sem filii Noe pertinet, ſicut & Iacob frater Eſau, quorum pater Iſaac. In odium fraternum digredi liceret; de quo egimus alibi. *Filii matris noſtræ pugnant* quandoq; *contra ſe u*. Fratres Iudæorum vocantur Idumæi *x*; & prohibentur iſtis illi moleſti eſſe *y*, quum eſſet occupanda terra promiſſionis: tamen immemores Idumæi humanitates, concitaverant etiam Babylonios contra Ieruſalem. Idcirco gravior hìc in Idumæos imprecatio, quam in Babylonios poſtea moleſte ferebant ſibi tributum à Davide impoſitum *z*. Denique tantopere paternam religionem execratum Eſau, qui & Edom, teſtatur Epiphanius *a*, ut arte diabolica præputium ablatum in circumciſione, denuo ſibi adduxerit; quæ ars in peſteros manaverit, & Apoſtolus *b* ab ejus uſu dehorretur, ut ſcilicet qui circumciſus vocatus eſſet, non adduceret præputium. In ipſo ventre cœpit contentio Iacob, & Eſau, duravitq. deinceps, licet abſque culpa. Quorumdam præterea diſcordia poſt mortem eluxit tanta, ut quum ſimul eorum cremarentur cadavera, fumus exiſtens ex illis in oppoſitam partem tenderet, ac in tumulo quoq. ſenſit hoſtem alius. Nota exempla Cain, & Abel, Iſmael, & Iſaac, Ioſeph, & fratrum, item fratrum adverſus David, à quibus nę per invidiam occideretur, eum ſecrete, ac ex improviſo ungi voluit Deus in Regem, ut à Chryſoſ. *c*, notatũ eſt. Origo odii Eſau contra Iacob videtur, quod pro coctione rufa vendidiſſet ei primogenita, & inde cognominatus eſſet non ſine nota infamiæ *Edom d*, & in poſterũ non abſq. exprobatione, & ludibrio. Ita gens ipſa in ſuomet nomine cauſſam odii gereret. A Deo ipſo inditũ nomen *Edom* non aſſentior Ioanni Marqueſio erudito alioqui præſentis pſalmi tractatori.

l c. 3. 14 15.
m Thren. 4.
n addit. ad Eſai. c. 34. & Abdiam, & ad c. 7. Dan.
o lib. 4. c. 2.
p in Abd. n. 2
q l. 5. in Eſa. in c. 33. & in Joel. 3 & in Abd. & in Malach. 1.
Galatini argumentũ quo probat contra Idumæorum nomine non poſſe intelligi Rom.
r cap. 10.
ſ 1. antiq. cap. 7.
t Gen. 25.
u Cant. 1. 6.
x Deut. 3. 4.
y verſ. 5.
z 2 Reg. 8. 14
a l. de pond. & menſur.
b 1 Cor. 7. 18
Contentio Jacob & Eſau in ipſo matris ventre cœpit.
c hom. 1. in Pſ. 50.
Origo odii Eſau contra Jacob.
d Gen. 25. 30. 31. 33. 34

In die Jeruſalem.) Sic etiam Hieron. quod Trevetus declarat, ut Deus meminerit Idumæorum, ad puniendũ illos, *in die Jeruſalem*, ideſt, in tempore reſtitutionis, & reparationis Ieruſalem. In Pſalterio Gallicano, apudq; Hilarium, & apud Rupertum *e* legitur, *in diem*. Alii legunt, *memor eſto diei*, aut, *memento diem*, aut *memento filiorum Edom cum die Jeruſalẽ*. Hebraicè eſt אתיוב *ethiom*, Grecè τὴν ἡμέραν τῶν υἱῶν, utraque lingua in accuſativo; quamvis, *filiorum*, ſit genitivi caſus, ut & לבני *livne*. Poteſt etiam את *eth* non articulus eſſe hoc loco, ſed conjunctio. Euthymius notat tranſitum à ſecundo caſu ad quartum: vel ante hanc ſubintelligi κατά. Explicat vero de die calamitatis; quam paſſa erat Jeruſalem ab Idumæis adjuvantibus Chaldæos. In quo concordant Græci ceteri, & Apollinarius, qui *diem Jeruſalem* accipit pro felici ſtatu ipſius, ut puniantur Idumæi hoſtes acerrimi, qui ſtatum eum everterunt.

e 7. in Gen. cap. 3.

> Καὶ σὺ μάκαρ τεκέων ἐπιλήθεο, μή ποτ᾽ Ἐδὼμ
> ὄλβιον ἦμαρ ἔχει Ἱερουσαλὴμ ἐρατεινῆς.
> *Et tu beate: filiorum oblviſcaris numquam Edom,*
> *Quum beatus dies eſſet Jeruſalem pretioſæ.*

Diem hoc modo probabilius eſt nunc accipiendam, qua etiam loquendi forma vulgo utimur, appellantes diem talis urbis, vel arcis, in qua everſa fuerit, vel inſignis hoſtium clades contigerit. Paraphraſtes vertit, *memor eſto Domine populi Edom diei, qua deſtruxerunt Jeruſalem*. Alioquin ἀδιαφόρως dies & rei bonæ, & rei malæ ſignificare exitum poteſt. Chriſtus ejuſdem civitatis Jeruſalem diem nominavit opportunam pacis, & ſalutis ejus *a*, & vaticinatus eſt, quod venirent in eam dies, in quibus vaſtaretur, *non relicto lapide ſuper lapidem b*. Lege quæ dixi pſal. 36. * *proſpicit quod veniet dies ejus*. Confirmari poteſt hic locus ex illo Jeremiæ *c*; *diem hominis non deſideravi*, prout à nonnullis exponitur, ideſt, nullius opto interitum, vel damnum, non cupio ut contingat dies calamitoſa, nollem talia vaticinari, illibens hæc prædixi, non ambivi hoc genus prophetiæ. Emphaſin habet nomen *Jeruſalem*, nempe, ut admodum amatæ à Deo, cujuſque ille injuriarum nequeat immemor eſſe; quamtumvis diſſimulet. Ut autem ſignificat *viſionem pacis*, hæc autem pax erit perfecta dumtaxat quum ſubjiciet ſibi Chriſtus omnia in die judicii, ſequitur quod eo die potiſſimum erit Deus memor, ut puniat *filios Edom* ideſt, reprobos, quos hoc noſtræ captivitatis tempore tolerat. Aliquo tamen etiam modo cenſeri poteſt *dies Jeruſalem* tum illa, in qua cum triumpho Chriſtus eam ingreſſus eſt, tuncque ejecit ementes, & vendentes de templo; tum in qua crucifixus eſt: veſtis autem inconſutilis integra relicta eſt à militibus veræ pacis Eccleſiaſticæ ſymbolum; velumque templi ſciſſum à ſummo uſque deorſum, quo ſynagogæ diſſipatio ſignificabatur, & punitio filiorum Edom.

a Luc. 19. 42
b verſ. 43. 44
* verſ. 13.
c cap. 17. 16

Qui dicunt.) Hieron. *dicentium*, האמרים *haomerim*, λεγόντων qui dicebant; aut dicturi ſunt: aut ſpiritu Prophetico audiri videntur, ac ſi nunc dicerent.

Veræ pacis Eccleſiaſticę ſymbolũ veſtis inconſutilis integra à militibus relicta.

Exinanite, exinanite uſq. ad fundamentum in ea.) Hieronym. *evacuate, evacuate uſque ad fundamentum ejus*. Alii *nudate*, &c. vel *diſcooperite, exuite*, &c. vel *evertite, exſcindite, vaſtate, deſtruite, ſolvite, evellite radicitus, complanate, effundite*. In vetere Pſalterio, & apud Auguſtinum, *evacuate, evacuate, uſque dum fundamentum in ea*; apud Hilarium, *evacuate, evacuate quoaduſq. fundamentum in ea*. Nec refert quod Græcè plurali numero ſint *fundamenta* θεμέλια, ut paullo poſt dicam. Repetitio ardorem, vehementiã, diligentiam denotat. Quod *in ea*, dicitur, reſpondet Hebræo בה *bah*. Tamen Hieronym. ut retuli, *ejus*, & Græcè eſt αὐτῆς. Pro *exinanite*, & ἐκκενοῦτε, Hebr. eſt ערו *bharu*, ערה *bharah* in *piel*, quod proprie valet *nudare*, *diſcooperire*, & his ſimilia, quod non pertinet ad ciſternas, foſſaſve exhauriendas, ut putant qui ad Lat. verbum *exinaniendi* attendunt. Affinis eſt uſus in ſimili re verbi Italici *ſmantellare*, *e sfaſciare*, quaſi ſpoliare *mantello & faſcia*, Abdias *d* de Idumæo vaticinans, videtur deſcribere pluribus verbis procaciam illius contra Jeruſalem. Jeremias *e* autem cum ironia, & ſarcaſmo convertit orationem ad eumdem, *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoq. perveniet calix, inebriaberis, atque nudaverit*. Alluſio poteſt etiam eſſe ad lætitiam, qua quũ Judæi vexarentur ab hoſtibus Idumæi afficiebantur: immo & ad verbum quod hìc igeminãdo, ac inſultando repetiiſſe dicuntur ערו ערו *bharu bharu*. Nam ibi poſtremum verbum eſt התערי *thitbhari*: Chald. התרוקני *thithrokeni*, *evacuaberis*: Græcè ἀποχεεῖς *effundes*, quod quidam explicant de vomitione. Apud eumdem Jeremiam *f* ſimili formula dicitur, *uſq; ad racemum colligere quaſi in vinea reliquias Iſrael*: ubi Hebr. עולל יעוללו *bholel jebholelu*: Græcè καλαμᾶσθε καλαμᾶσθε ὡς ἄμπελον, *racemate, racemate ut racemum*. Sunt præterea *g* qui Ieremiæ *h* alia verba, *mittamus lignum in pacem ejus*, interpretentur ſimili quadã ratione nempe ducta cõparatione ab illis qui priuſquam ſeminent, ad eradicandas herbas mittant lignum magnũ & ponderoſum inſtructum cuſpidibus, quo terram excolant. Id applicant ad lignum crucis Chriſti; ſed plures referunt ad venenum ſive toxicum, quaſi taxicum, à taxo arbore præſentiſſimi veneni, quo toxico inficeretur panis, ideſt, Chriſtus verus de cœlo panis; eſſetq. ipſa crux venenum illud. Ibidem alia imprecatio, *eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus, non memoretur amplius*, recte etiam declarat præſentem imprecationem per exinanitionem. Perfectiſſime impletum eſt hoc Idumæorũ votum, non quo tempore hoc optabant, & fieri vehementer urgebat, ſed longe poſt, opera Romanorum, quando juxta Chriſti illacrymantis prædictionem *i*, *non eſt relictus lapis ſuper lapidem*, qui non deſtrueretur. Animarũ vilium eſt probroſe, ac inſultanter hoſtes inſtigare, atq. perurgere ut ſæviant crudelius in victos; *parieti inclinato maceriæque K depulſæ* impetum majorem imprimere. Tales Idumæi dicendi potius, quam Iudæi, qui ſecus ac importunis vocibus *crucifige crucifige* clamabant *l* pro Chriſto Præſidis audire rationes volendo. Poſtea contenderunt omni ope hoc fundamentum, quod eſt Chriſtus, & nomẽ, ac fidem ejus penitus de medio tollere, & *ne loquerentur diſcipuli in nomine hoc ulli hominum m*. Gregor. *n fundamenta* pluraliter de prædicatoribus, in ſingulari numero de Chriſto ſolo dici notat in Scriptura Chriſtum Iudæi, & alſi perſecutores exinanire præcipue contenderunt: deinde vero etiam prædicatores. Inſtigabant Iudæi Paganos: Nam illis accuſantibus crucifixerunt Pagani Chriſtum. Herodes videns placere Iudæis, Iacobum fratrem Ioannis occidit, & in carcerem conjecit Petrum: *o* concitaverunt animos Gentilium contra Chriſtianos; *p* Paulum reum mortis facere conati ſunt. *q* Verum quod ad *fundamenti* nomen ſpectat, dixi hoc loco Grecè eſſe pluralis numeri. Nec dubium, quin quando Chriſtus de Petro dixit *r*, *ſuper hanc petram*, intellexerit *ſuper hoc fundamentum*; & Paulus *ſ* vocat numero ſingulari *fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*. Nihil ira affrenatius, fœdius, terribilius: Ait Propheta de Idumæis ſub nomine captivorum, qui dicunt, præſenti tempore; quaſi etiam conſtitutis in captivitate Iudæis, non deſinerent Idumæi ſuis linguis hoſtes urgere in ſemper majorem, ſi fieri poſſet, perniciem Ieruſalem, atque Iudæorum. Præcidenda tempeſtive iracundia, *ne Sol* ſaltem *occidat ſuper eam t*. Numquam alieno ſatiatur malo, ſed ad fundum ſine fundo permeat, fundamentumque humanitatis omne diruit. Non reſecat ad vivum Deus, non uſq. ad fundamentum exinanit. Vetuit, ne animam, ſeu vitam diabolus Iobo eriperet, cum vexandum ipſi permiſit *u*. Raſis crinibus receſſit à Samſone fortitudo, ſed renaſcente capillo rediit *x*. Nabuchodonoſor ad beſtias, ac feras abjectus, earum, ſimilis victitare juſſus eſt, ad ſeptem tantum annis *y*: quod parabolice ſignificabant illa verba *z*, *Attamen germen radicum in terra dimitte*, Non decet, *quomodo ſolet bos herbas uſq; ad radices carpere a*. *Relinquit Deus ſemen nobis, ne quaſi Sodoma ſimus, & quaſi Gomorrha b ſimiles eſſemus*. *Potum dat lacrymarum in menſura*, *c*. In die judicii Sol in eis teſtis erit, ſuper quorum iram non unius diei, ſed tantorum annorum, ut ſcribit Hieron *d*, occubuit. *Maledictus furor pertinax e*. *Num uſq. ad internecionem mucro deſæviet*, quum *Sol* etiam *occubuerit f*? Ceſſare te vult Deus à ſuo ſacrificio, ut *recordatus fratrem tuum habere aliquid adverſum te, vadas, & reconcilieris ei g*: & honorem ſuum Deus reſpuit, dum proximi charitatem requirit, ut Auctor *h* operis imperfecti obſervat. Reprehenſus Aaron, quod ſacrificium non conſummaſſet *i*: Xenophon laudatus, qui nuntio dę filii morte, non potuit à rite perficiendo ſacrificio removeri k. Si non potes munus abſq; pace offerre, quanto magis & Chriſti, ut ratiocinatur Hieron. *l*, corpus accipere? Vitia te, tum vero iræ, exinaniunt, & evacuant, atq; *vanitatem diligere* faciunt *m* De Chriſti *plenitudine accipe n*, perſta in plenitudine, *opera plena* fac *o*, noli arundineus eſſe *p*, cave *ne in vacuum gratiam Dei recipias q*. Memento, quod eos, qui non in Deũ ſunt divites, ſed ut mammonæ cultores, Deoque propterea ſervire non poſſunt, Deus dimittet inanes, bonis autem implebit eſurientes, atque ſitientes juſtitiam.

d verſ. 10 & ſeqq.
e Thren. 4. 21
f cap. 6. 9.
g Chal. Para. Hebræi, Hugo, Tho. Lyran. Pagnin. Vatab. in Jerem. 21. & Didac. Stella in hunc pſ.
h cap. 6. 9.
i Luc. 19. 44 Marc. 13. 2.
Animarum vilium eſt inſultanter hoſtes inſtigare, ut in victos crudelius ſæviant.
k Pſ. 61. 4
l Joan. 19. 6
m Act. 4. 17. 15. 28. 40.
n 28. mor. c. 4. 6. vel 8.
o Act. 12. 1. 2.
p Act. 14. 18.
q c. 21. & ſeq.
r Matt. 16 18
ſ Ep. 2. 20.
t Eph. 4. 26
u Job 2. 6.
x Jud. 16. 19. 22. & ſeqq.
y Daniel 4. 28. & ſeq.
z verſ. 20. 23
a Num. 22. 4
b Eſa. 1. 9
c Pſ. 79. 6.
d Epiſt. 36.
e Gen. 49. 7.
f 2. Reg. 2. 24 26
g Matt. 5. 23 24
h hom. 11 in Matt.
i Levit. 10. 16. 17.
k Seneca de conſolat. ad Marciam. Valer. Max. lib. 5. cap. 10.
Hieron. Ep. 3.
l Epiſt. 62.
m Pſ. 4. 3.
n Joan. 1. 16
o Apoc. 3. 2.
p Matt. 11. 7
q 2. Cor. 6. 1.

Verſ. 8.) Filia Babylonis miſera; beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Verſ. 9.) Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.

COnvertit ſermonem Propheta, nomine captivi populi, ad Babylonios; apud quos detinebantur, & à quibus tam crudeliter vexabantur. Appellat Babyloniam miſeram, quæ ſe feliciſſimam arbitrabatur, potiens rerũ, & captivos Judæos ſubigens: prædicit vero optantis modo (quod Chryſ. aſſerit diei juxta perturbatũ ira imperfectioris populi captivi animũ) felicitatem illam tranſituram ad alium, ſcilicet ad Regem Medorum, & Perſarum, qui juſto De judicio redigens Babylonios, Chaldæoſve in poteſtatem, ſit vicem redditurus malorum ipſis, pro malis

Senſus loci.

malis, quibus affecerant Judæos; nec parciturus infantibus ipſis, verum abſq; ulla commiſeratione alliſurus eos ad parietes, atq. interfecturos. Diſerte hoc ipſum prædixit Eſaias *a*, ut in ejuſdem commentario Hieron etiam annotavit, deſcribens onus Babylonis, nominatim faciens de Medis mentionem *b*, & quod *omnis, qui inventus ibi fuerit, occidetur, & omnis qui ſupervenerit, cadet in gladio c*: & quod *infantes eorum allidentur in oculis eorum d, ſagittis parvuli interficientur, & lactantibus uteris nō miſerabuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum e*, & *erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum ſicut ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorrhā f*. Daniel *g* quoq. arcanis illas voces articulo manus exaratas in pariete interpretans, vaticinatus eſt dividendū regnum Babylonicum, dandumq. Medis, & Perſis. Tandem Abdias videtur tranſcripſiſſe verba verſus octavi, vaticinans contra Idumæos à Babyloniis, ſeu Chaldæis vaſtandos, tum vero quod & hi ſecundum quamdam retributionem vaſtandi eſſent, ut Hieron. ibidem admonet. Myſticè, quemadmodum per Idumæos intellecti Judæi, perſecutores Chriſti, & Eccleſiæ, puniti ſunt *in die Jeruſalem* quando à Romanis exciſa eſt, ſic & per Babylonios intellecti Gentiles, quos Idumæi illi, hoc eſt Judæi, contra religionem Chriſtianam inſtigaverunt, redacti ſunt ſub jugum Chriſti, & plurium perſecutorum fracta potentia, regnaq; ſed hoc quoniam non gladio factum eſt, verum prædicatione, miraculis, exemplo vitæ; idcirco beatum nominat David, qui tali ratione id fecit, ideſt, quemlibet Prædicatorem, & Chriſti miniſtrum, qui eo modo movit perſecutionem contra idololatriam, & potentiam Paganorum. Inter hos plurimi parvuli, hoc eſt pueri, ac puellæ, aliiſq. ſimplices, facili negotio converſi ſunt ad Chriſtum; & alliſi ad hanc petram, fœliciter mortui ſunt homini veteri, atq. peccato, & reſurrexerunt in novum hominem, novamq. vitam. Præterea, ſicut Rex Babyloniæ diabolus captivavit nos, & alligavit vinculo peccati, atq. *in lege ejus h*, & exulare fecit in iſto mundo, ſic in die demum judicii Chriſtus diabolum captivum faciet, alligabitq. ut nemini deinceps nocere valeat, nec miniſtri ejuſdem, qui alligabuntur *in faſciculos ad comburendum i*, & *ligatis pedibus, manibuſq; mittentur in tenebras exteriores k*. *Vincula æterna ſub caligine* vocat Judas *l*, & Petrus *m rudentes inferni*. Item, quemadmodū Rex Babyloniæ, & filiorum ſuperbiæ, parvulos maxime ſeducit, facitq. captivos, qui parum creſcunt, & proficiunt in Chriſto ac *lacte opus habent n*, ita qui parvulos Babyloniæ, hoc eſt, illos, qui minus creverint in vitio, & malitia, beatus eſt, qui quamprimum allidit ad petram, occiditq. peccato, ut juſtitiæ vivant. Ad extremum, parvulos Babyloniæ Hilarius, Auguſt. Proſper, Arnob. creditus Hieron. paſſimq. Latini alii, & ex Græcis Euthym. initia tentationum intelligunt, quæ faciliter, ac fœliciter ſuperari poſſint, ſi quis ad petram, quæ Chriſtus eſt, ut primum enaſcuntur, allidit, nec ſinit creſcere. Vitia corporis, ait Hilarius, non ſunt ſinenda coaleſcere, ſed in exordiis ſtatim enecanda ſunt. Periculoſæ enim ſunt jam robuſtæ cupiditates, & difficulter adulta quæq. perimuntur: levius autem eſt prorumpentes avellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Arnobius orationem ſumit ad Chriſtum, ut teneat, & allidat non ſolum ipſos bellatores gigantes, ſed & parvulos eorum ad petram ſuam, ſupra quam fundavit Eccleſiam, ita ut non ſolum crimina illa ingentia, ſed etiam parvulum, & quod minus omnibus peccatis eſſe videtur, etiam hoc mortificet in nobis, dans nobis conſilia, ut peccata ſtatim ubi nata fuerint, allidamus ad petram, & eadem creſcere non ſinamus, ne dum creverint, iterato nobis barbaricum generent, ideſt, ingentem, & quaſi vaſtam molem peccatorum, quæ vehementem ſtuporem, & infauſtum clamorem concitet. Placuit præter Enarratores, eadem tropologia Ambroſio *o*, ut allidantur teneræ, infirmæque cupiditates ad petram Chriſti, hoc autem eſſe *cogitando vias ſuas convertere pedes in teſtimonia Dei p*. Ait etiam *q*, quod miſeratus David hoc loco appellavit filiam Babylonis miſeram, quæ filia Dei eſſe deſinit, ei vero Medicum invitare, qui infirmas & lubricas cogitationes elidat ad Chriſtum, omnes irrationales motus ſui reverentia, & diſceptatione comminuat. Poſtremo *r*, ut doceat de Chriſto dici nomen *petræ*, hoc utitur loco, dicitque, quod parricidium eſſet, ſi petra iſta figuram Chriſti corporis non haberet: quia nemo beatus in funere eſt, qui infantes allidit ad petram; ſed ideo beatus eſt, quod illos conjungit ad petram. Hier. *ſ* Euſtochio ſcribens, monet, (ne ſinat cogitationem creſcere, & ut nihil in ea Babylonicū, nihil confuſionis adoleſcat; ſed dum parvus eſt hoſtis, interficiat, & nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine.) Subdit mox, (Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem ille, laudatur ille, prædicatur beatus, qui ut cęperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petrā, *petra autem erat Chriſtus t*.) Profert exemplum de ſeipſo dignum lectu. Addit explanans Eſaiam *u* allegoriam, (Ut argentum, & aurum, eloquentiæ, ſapientiæq. ſæcularis reſpuentes, filios hæreticorum, & omnium, qui decepti ſunt, ſagittis ſpiritualibus, ideſt, teſtimoniis Scripturarum; & qui lacte nutriantur erroris abſque ulla miſericordia trucidentur, ut clementi crudelitate pereant, nulliuſq. miſereamur infantiæ, & illa beatitudine digni ſimus; beatus, qui tenebit, &c.) His ſimilia in Oſeæ caput ultimum attingit. Dorotheus *x* copioſe totum hunc locum tractat juxta ſenſum eumdem de cito extirpandis teneris, parviſq; paſſionibus, antequam ſicut cupreſſi creſcant, & invaleſcant: quo exēplo uſum narrat ſenem anachoretam. Inter alia ſumit *filiam Babylonis* pro inimicitia, matrem pro militia; dediſſe nos voluntatem noſtram iſti, & ab ea recipere peccatum, beatos eſſe, ſi non amplius illam fecerimus, & ſi pravas cogitationes non admiſerimus, ita ut coaleſcant, & ad opus perveniant, allidendo, percutiendoq; ad petrā, *qui eſt Chriſtus*. Gregor. *y* docet, Chriſtum eſſe altare, cui vituli imponuntur *z*, & cogitationes noſtræ illicitæ, ne convaleſcant, mactantur, & motus illiciti exoriētes imitationis Chriſti intentione mortificantur, & ad petram, *qui eſt idem ipſe Chriſtus*, alliduntur. Caſſianus *a* idem ex profeſſo præcipit, notans hoc eſſe ſerpentis obſervare caput *b*, ne id immittens, mordeat: *in matutino interficere peccatores terræ c*: atrium, domumq; fortiter *cuſtodire d*: deniq. niſi hi filii Babylonis, dum tenerrimi ſunt, fuerint enecati; adultos per conniventiam, in perniciem noſtram validiores inſurgere, aut certe non ſine magno gemitu, ac labore vinci. Origenes *e* ante hactenus citatos, tradit eumdem ſenſum loci præſentis, ut ubi caput cęperint de vulva animæ proferre, pernicioſa deſideria maligni ſpiritus inſpirationem (aut aliter) concepta arripiamus ſtatim, & *elidamus ad petram*, ideſt, adducamus, ad ipſum Chriſtum, ut pereant: *& interficiamus in matutino*, ideſt, quamprimum, *omnes peccatores terræ f*. Illam porro ex plantis comparationem, quam Dorotheus afferebat, Ovidius *g* ſic expreſſit,

Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Paulinus *h* laudans Aprum, ait, parvulos, ſive adultos eliſos ad petram, eſſe vitam confuſionis, ſuperbiæq; ſęcularis. Non aſſentior Jacobo Janſſonio, contendenti litteralem ſenſum eſſe de Judæis, qui compatiantur nō Idumæis juratis eorum, ac ſuæ religionis inimicis, ſed Babyloniis, qui male, quæ in religionem admiſerunt, ignorantes admiſerunt: commiſeratione indicium eſſe, quod *miſeri* vocentur: item quia *beati* dicuntur: *qui retribuent eis retributionem*, videlicet de bona retributione accipiendū ut ſcilicet ſpontanea ſe quadam captivitate ſubdāt Deo: nec enim beatos cenſendos, qui expetant, & videant vindictam, quamvis expetere, ac videre etiam cum lætitia liceat: *tenere* Babylonios, eſſe efficere; ut adhæreant veræ religionis tamquam proſelyti; ad quod Eſaiam *i*, & Zachariam *k* citat: *allidere parvulos eorum ad petram*, idē valere, quod circumcidere, qui ritus petrino plerumq; cultro fiebat. Habet hæc expoſitio laudem ingenii, ſed litterali recepto ſenſu non debet officere, & quod optare fas eſt de eoq. lætari, ideſt, de impiorum vindicta, illo modo, quem alias expoſuimus, non video quin propter ejus præſentiam, & quod voti qui hujus compos ſit factus appellari beatus poſſit. Hilarius quidem videtur negare poſſe aliter hunc locum ſumi, quam myſticè, ac ſpiritualiter; quia non videtur quæ *filia Babylonis* fuerit, & cur *miſera* dicatur, quū ſuperius *ſuper Babylonis flumina ſeſſum*, atq. *ploratum ſit*. Non difficilis ad hæc ex dictis reſponſio, & ex his, quæ poſtea in litterali enucleatione particulari dicentur, conſtabitq. paullo magis circumſpectè Janſſonium loqui potuiſſe, cum dixit, permultos in Scripturis ſacris litterā non ſatis circūſpecte ſectantes, arbitrari prędici talionem Babyloniis aliquando reddendam. Permultorū auctoritas indicat circumſpectionem: & ut prius

a c. 13. tota. b verſ. 17. c verſ. 15. d verſ. 16. e verſ. 18. f verſ. 19. g cap. 5. 24. & ſeq.
Senſus myſticus.
h Rom. 7. 23. i Matt. 13. 30. k cap. 8. 12. cap. 22. 13. cap. 25. 30. l Ep. verſ. 6. m 2 Epiſt. 2. 4. n Hebr. 5. 12.
Tropologia.
o in pſ. 118 octon. 8. p pſ. 118. 59. q 2 de pœnit. cap. 11. r de Salom. cap. 43. ſ Epiſt. 22.
t 1. Cor. 10. 4. u in cap. 13. Allegoria. x doctrin. 11. y in pſ. 3. pœnit. z pſ. 50. ult. a 6. Inſtitut. cap. 13. b Gen. 3. 15. c pſ. 100. 8. d Luc. 11. 21. e homilia 20 in Numer. & lib. 7. contr. Celſum. f pſ. 100. 8. g 1. de remed. amoris. h Epiſt. 29. i cap. 14. 1. k cap. 8. 23.

prius demonſtravi, favent plane aliorum Scripturæ locorum teſtimonia. Ut ad myſtica ergo redeamus, Bachiarius *a*, ut perſuadeat pœnitentiam non differendam, jubet conſiderare, quod nuſquam in ſacrificiis pecora ſenio confecta jugulantur; ſed ubiq. aut agnus, aut vitulus, aut hircus, aut hędus immolatus, [quin addit & pullos columbarum?] ideſt, tenera adhuc, & parva, vel modica peccata. Excipit Eliam, qui tantum ſemel bovem obtulerit *b*. Addere debuit boves oblatos à David, quum deduceretur Arca *c*, & poſtea in arca Arcunæ *d*: deinde ante eandem Arcam, quum etiam deduceretur, à Salomone, populoque *e*: & mentionem crebram de oblatione bonū in Levitico *f*, in Numeris *g*, in Deuteron. *h*: præterea in Pſal. 65. *i*, in Eſaia *k*, & Oſea *l*. Et ne quis pro vitulo bovem ſumi reſpondeat, boves mactati in area Arcunę trahebant plauſtrum. Quod autem Eliſæus mactaſſe narratur boves, qui aratrum trahebant, & *in aratro boum coxiſſe carnes, dediſſeque populo, & iſtum illos comediſſe m*, pertinet ad convivium, non ad ſacrificium. Subjicit tamen Bachiarius hoc uni Salvatori licuiſſe, nempe ſenio confecta offerre, hoc eſt inveterata populi peccata jugulare. Tum ait, ejus, qui pœnitentiam differt, peccatum non eſſe hędum tenerum, ſed hircum; quia per tot terrarum tractus fœtoris ſui, hoc eſt, famæ turpis opinio peragravit. Denique cum hoc loco Propheta prædicet *beatum, qui teneat parvulos Babylonis, & allidat ad petram*, reprehendit illum, qui expectat donec gigas efficiatur inimicus ejus. Alludit vero ad id quod ſcribitur in Geneſi *n*, *poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, & hæ genuerunt, gigantes extitiſſe*.

Filia Babylonis.) Idem valet atque ſimplex nomen *Babylonis*, quomodo *Jeruſalem*, & *filia Jeruſalem: Sion*, & *filia Sion: Eccleſia*, & *filia Eccleſiæ*; quæ Eccleſia propter ſucceſſionem dicitur *filia*, propter prælationem dicitur *mater*. Sic Auguſt. De hac phraſi dictum prius non ſemel. Hoc ipſo modo appellatur *filia Babylon* ab Eſaia *o*. Jeremia *p*, Zacharia *q*. Continentur populi in urbe ſicut fœtus intra matris uterum; Sed Euthymius non alia ratione ſic vocari docet, quam ut filius hominis appellatur idem qui homo. Alioquin ſexus ipſe fœmininus, & vocabulum *filiæ*, innuere poſſunt elegantiam, ornatumque civitatis. Non ergo Hilario videri debuit vocari *filiam Babylonis*, ut myſticum quid innuatur; caro ſcilicet omnium, quæ confuſionem pariat, & peccata. Admittimus myſticam ſignificationem, ſed ſalva litterali. Cur autem Dorotheus *r Babylonem* confundat cum Sichem, equidem non intelligo.

Miſera.) Hieron. *vaſtata* השדודה *haſcedudah*. Alii, *vaſtanda, depopulata, deſolata, direpta, ſpoliata, deſtructa, labefactata*. Ob certitudinem prædictionis quod futurum eſt, jam ut præteritum, factumque dicitur. Chald. *filia Babyloniorum devaſtatorum*; ſed in textu ac translatione Nebienſis, additis prius aliis, *dixit Gabriel princeps Sion, gens Babylonica rapax*, ubi videtur cuſtodiam, & præfecturam Sionis Paraphraſtes Gabrieli attribuere, quemadmodum verſu 7. Michaeli totius populi Judæi. Sed nec nomen *miſeræ* ad commiſerationem neceſſario ſpectat, ut velle Janſonium docuit. *Miſera* dicitur, non quæ provocet miſericordiam, ſed quæ calamitoſiſſima ſit; & ut legitur in vetere pſalterio, apudq; Auguſt. & in commentario Hilarii, quæ infelix eſt. Nihil tale etiam innuit expoſitum vocabulum Hebræum; nec Græcum ταλαίπωρος: & quod Symmachus poſuit ἡ λῃστρίς *prædatrix*; quod Aquila προνομευομένη *vaſtata*: quod Theodotio διαρπασθησομένη *diripienda*; quod Apollinarius πολυκάμμορος *quaſi fato vallata infelici*. Sane cum ſcribit Sapiens *ſ*, quod *miſeros facit populos peccatum*, Græcè quod ἐλασσονοῦσι *diminuunt*, noluit ſignificare, quod miſericordia dignos reddunt. Potius faveret nomen *filiæ Babylonis*, quo Hieronymus *t* explanans Eſaiam ſic appellantem *filiam Sion*, docet clementiſſimi patris monſtrari affectum: nec mirum eſſe, ſi eo modo appelletur *filia Sion*, quum etiam Babylon ſæpius *filia* nuncupetur. Sed nec hæc neceſſaria ratio; ut neque Abraham ex miſericordia proprie putandus appellaſſe divitem illum *filium*, qui cruciabatur gehennali flama *u*. Poſita ea ſententia quod hìc per commiſerationem Judæus populus loquatur, quam equidem non damno, Joannes Marqueſius digreditur in affectum illum commiſerationis, quo DEUM imitantes juſti, afficiuntur circa hoſtium ſuorum pœnas alioqui meritas. Id indicari quoque vult fœminino *filiæ* nomine, quia.

— *x nullum memorabile nomen.*
Fœminea in pęna eſt, nec habet victoria laudem.

Præterea, quoniam paſſum eſſe ad compatiendum aliis confert, præſertim quanto ſublimior patientis fortuna, cōditione antea fuerit. Id pluribus auctor ille demōſtrat: Verū hìc mihi hærendum aliud ſentiendi, non judico; ut nec in alia ejuſdem digreſſione, quod inimici in inimicū commiſeratio, levis crebro res ſit, ac interdum pernicioſa: & cui minimè fidendum ſit; utpotè cum naſci ſoleat periculum ex miſericordia *y*. Ayguanus diſtinguens miſerum naturæ, culpæ, pęnæ, tum temporalis, tum æternæ, demonſtrat *in filia Babylonis* reperiri, hoc eſt, in malorum congregatione, ex cōfuſione vitiorum genita, quātumvis videatur ſibi beata, atque voluptatibus fruens.

Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Hieronymus, *viciſſitudinem*; Alii *retaliationem*, ſive *talionem*, Paraphraſtes, *retributionē tuam malam*, Apollinarius προτέρην βίην, *priorem violentiam*. Quaſi dicat, cùm te beatam nunc putes, miſera es; qui ſecundùm vulgarem hominum æſtimationem, beatior te veniet, qui vicem rependat tibi pro injuria qua nos affeciſti, & ipſamet hac beatitudine qua gaudes, & gloriaris, cumulatiùs potiaris. Beatus, qui malum tibi reddet pro malis quæ nobis intuliſti. Proſperum dabit Deus Perſis ac Medis ſucceſſum, quibus utetur ad vindicandas injurias, quas accepimus à te. Re ipſa Deus Cyro Darioq; Medis, atq; Perſis benedixit, & bellum illi quaſi DEI nutu ac favore, geſſerunt, per quos pœnam ſumere de Babylone ſtatuerat. E contrario pronuntiavit Jeremias *z maledictos, qui facerent opus Dei negligenter, & fraudolenter, prohiberentq; gladium ſuum à ſanguine*, non impendendo ſtrenue ac fideliter operam ſuam in vaſtandis, & perdendis quos ille volebat; tamquam conducti ab illo carnifice. Quamquam ibi Propheta de vaſtatione Moabitarum per Chaldæos agebat. Qui ſignificent *retribuere* ac *retributio*, vidimus in aliis Pſalmis *a*. Nec oportet adeo proprie ſumi *b*, ut populus nunc velit ſignificare, optare ſe, ut Babyloniis retribuatur id quod ipſi retribuerant eis, quaſi conſcios indicent ſe quod priores provocaverint Babylonios contra ſe; aut præ conſcientiæ perturbatione hoc ipſum ſuſpicientur. Idem Jeremias, *c* vocat *diem conſolationis quem Deus adducat, ut fiant inimici ſimiles his* quos vexaverunt. David *d*, etiam *lætari juſtum* canit, *quū videt vindictā*. Hoc antea monui: & eadem de cauſſa cenſeri beatum poſſe qui retribuat retributionem iſtam; dummodo prava voluntate non faciat. Quod quia difficilius eſt, novaq; lex ſuadeat potius patientiam, idcirco Chryſoſt. & Euthym. videntur præſentem orationem accipere tamquam pronuntiatam ſub perſona populi adhuc imperfecti, ad Vetus Teſtam. pertinentis. Eædē pęne nomine *retributionum* vocari poſſunt, & improborū reſpectu, & proborū, quatenus redduntur peccatis, quorū etiam probi habent, habuerunt ve nonnulla. Quando ab improbis patiuntur quidpiam probi, & injuria eſt injuſte inferentium; & juſtitia reſpectu Dei, qui permittit ut inferant, injuſtaq; aliorum actione utitur ad puniendū, & in probris juſtitia eſt; quoniam patienter fuerunt, atq; ſatisfaciunt, ac veluti retribuunt. Tunc beati revera coram Deo probi patientes ſunt; improbi judicio pravo hominū, qui felicitatē æſtimant quacumq; ratione poſſint dominium in alio exercere, & ſumma rerum potiri. Ex obliquo David beatū appellans, qui Babyloniā ſubacturus ſit, ipſammet Babyloniā, quā etiam nominavit, *miſerā*, vult intelligi infelicē, quo ipſo nomine alios uſos hìc dixi pro *miſera*, utpoteq; ad eum ſtatim perventura ſit captivitatis, in quo nunc alios detineat. *Quū ceciderit inimicus tuus*, ait Solomon *e*, *ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuū: ne forte videat Dominus, & diſpliceat, & auferat ab illo irā ſuā*, ideſt, convertat ab illo, vel redire faciat in te. Poſſet hìc demū de lege talionis diſputari. Legantur Plinius *f*, Gellius *g*, Cicero *h*, Ariſtoteles *i*, Alexand. Neapolit. *k* cum Tiraquello Petrus Gregor. *l*, & S. Auguſt. *m*, præterea tractatores in Pentateuchum *n*, & in Matthæū *o*: interpretes etiam juris canonici in cauſſā 23. præſertim, & civilis, in titulum; quod quiſque juris. Diximus, & nos non nihil in Pſalmum 7. *p*. Syneſius Epiſt. 1. hanc & ſequentem ſententiam uſurpat in Andronicum.

a Epiſt. ad Januar. b 3. Reg. 18. 23. 25. c 2. Reg. 6. 13. d 2. Reg. 24. 22. 25. e 3. Reg. 8. 5. 63. f c. 1. 2. c. 3. 1. c. 9. 4. 18. 19. c. 17. 3. c. 22. 19. 21. 23. 27. 28. c. 27. 26. g cap. 7. 6. & ſeq. c. 8. 11. & 15. ſæpe. h cap. 16. 3. c. 28. 18. 31. i verſ. 15. k cap. 66. 3. l cap. 12. 18. m 3. Reg. 19. 21.
Pœnitentia non differenda.
n cap. 6. 4. o cap. 47. 1. p cap. 50. 42. cap. 51. 33. q cap. 2. 7. r doctrin. 11. ſ Prov. 14. 34. t in Eſa. c. 1. u Luc. 16. 25.
x Virg. Æn. 2. y Tac. 3. hiſt. cap. 14. z cap. 48. 10. a pſ. 7. 12 pſ. 27. 4. b ſic ſumit Jo: Marq. c Thren. 1. 23. d Pſ. 57. 11. e Prov. 24. 17. f lib. 7. c. 54. g lib. 20. c. 1. h 2 de legib. i 5. Ethic. c. 5. k lib. 6. c. 10. l Syntag. l. 31 cap. 10 mat. de civ. cap. 11. n in Exod. 22 Levit. 24 Deut. 19. o. 5. cap. 5. p in verſ. 4. & ſeq.

Beatus qui tenebit.) Alii, *capiet, apprehendet, corripiet*: important יאחז *jochez*, & κρατήσει *apprehendendo tenere, ac veluti poſſidere fortiterque ſtringere.*

Et allidet.) Alii, *elidet*, ut Pſalterium vetus, Hilar. Auguſtin. Vel, *conteret, franget cum diminutione, & diſperſione, diſperget cum fractione*, ut contingit in hydriis fictilibus *a*. Hoc valet נפץ *nippets* in *piel*. Græcè ἐδαφιεῖ, ab ἔδαφος, *ſolum & pavimentum, ſolo æquare, & ad ſolum pavimentumve allidere*; & abſolutè etiam, *allidere.*

a Jud. 19

Parvulos tuos.) Sic etiam Hieron. & pronomen ſecundæ perſonæ erat Græcè σου & Hebraicè cum nomine עוליך *bbola laicb*. In aliquot libris Latinis Bibliorum & commentariorum legitur, *ſuos*, atque ſic videntur legiſſe qui tropologiam illam perſecuti ſunt de initiis vitiorum allidendis ad petram. Quamvis eadem colligi poſſit accipiendo, *ſuos*, pro non reciproco pronomine, *ejus*. Sed ratio continuatæ apoſtrophæ requiritur retineatur, *tuos*. In eadem ſignificatione Pſalterium vetus, & Auguſtinus *infantes*, uſurpant pro *parvulis*. Infantes magis propriè ſignificant νήπια & עוללים *bbolalim.*

Ad petram eſt.) סלע *ſelahh, rupes, ſaxumque*. Unde B Græcum præcedens ἐδαφιεῖ hoc loco non connotat *ſolum & pavimentum*, ſed *obvias petras, rupes, ſaxa*. Videtur Apollinarius intellexiſſe ex loco ſuperiore parvulos projectos, & ad petram afflictos.

ὡς πέτρῃ ὑπερθε μαλών σεο νήπια ῥήξει.
Qui petram ſuperaccedens tuos parvulos franget.

b cap. 13. 16 Eſaias *b* vaticinans contra Babylonios, inter alia hoc ponit; *infantes eorum allidentur in oculis eorum* καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν ῥήξουσιν ἐνώπιον αὐτῶν, *& filios eorum frangent coram*
c cap. 3. 10 *eis*. ועולליהם ירטשו לעיניהם *vebbolebem jeruleſtiu lebbenebem*. Item apud Nahum *c* tametſi loquentem de Alexandriæ deſtructione; *ſed & ipſa in tranſmigratione ducta eſt in captivitatem: parvuli ejus eliſi ſunt in capite omnium viarum*, ideſt, in compitis ad prominentes angulos parietum, & palam publiceque ad majorem terrorem pertranſeuntium, qui viderent nec innoxiæ parci ætati. Illuſtrari locus hic poteſt narratione de Cyclopè apud Virgilium *d*.

d Æn. cap. 3.
Quid prenſos manu frangebat ad ſaxum.

e Odyſſ. 3
f in Cyclope

Exempla hoſtilis militariſque ſævitiæ.

Qua in re Virgilius Homerum *e* & Euripidem *f*, imitatus eſt. Hoſtilis militariſq; ſævitiæ Bochius exempla colligit, nulli nec ſexui parcentis, nec ætati: Et ſuppetunt adhuc plura, ut quod Hieron. *g* narrat de Hunnis. Facit ad rem Brunechildis Gothicæ Medeæ crudelitas, quæ trucidans Theodeberti filios, ex his Merovæum natu minorem in albis poſitum, ut ſcribit Aimonius, *h* ut ſolent catechumeni, ad petram, illiſum coegit exhalare ſpiritum. Nummatius Flaccus infantes in conſpectu parentum humo infixit, alios ſuperjactos, pilis excipi juſſit. Veriſſimile præterea eſt nō paucos ex occiſis ab Herode Chriſti cauſſa infantibus, eliſos ad terram, ut Auguſt. *i* ſcripſit. Satis antea de myſtica dictum alliſione motuum primorum, quibus ad malum incitamur. Certè verum eſt quod Seneca *k* tradidit, facilius eſſe initium affectuum prohibere, quam impetum regere. (Nullum, inquit, vitium eſt ſine patrocinio: nulli non initium eſt verecundum, & exorabile ſed ob hoc latius funditur. Non obtinebis ut deſinat, ſi incipere permiſeris. Imbecillis eſt primo omnis affectus, deinde ipſe ſe concitat, & vires dum procedit, parat: excluditur facilius, quam expellitur.) Hoc modo ille Ci- D ceronis *l* quoq; ſententia eſt, quæ creſcentia pernicioſa ſunt, eadem eſſe vitioſa naſcentia. Spectat eodem in genere præceptum de obſiſtendo malis vitiorum initiis, & exempla, quę alias puto me protuliſſe tum ejus qui muſcā faſſus per imprudentiam, & impatientiam, quod ea vexaretur, à diabolo factam, urgente Manichæo, qui occaſionem captabat progreſſus eſt, ut hominem ipſum ab eodem conditum pronuntiaret *m*: tum alterius, qui quum quempiam laudari audiret, contemnens poſtponebat primum Zozimæ abbati, deindè ceteros omnes Macario, poſtea Baſilio, & Gregor. tum Petro, & Paulo: tandem nihil aſſeruit in pretio habendum præter Trinitatem, & in ipſummet Deum factus inſolentior, exarſit & intimuit *n*: Auguſt. *o* quoq; de matre ſcribit, quod ad modicum quotidiana modica addendo, in eam conſuetudinem lapſam eſt, ut plenos mero caliculo inhiantur hauriret. Hoc ſenſu Nyſſenus *p* obſervat Ægyptiorum occidenda primogenita, & ſerpentis caput opprimendum, & poſtes ſanguine illinendos, ideſt, ſanguine Chriſti, percurſſorem

g Epiſt. 3
h lib. 4. cap. 1 de geſtis Franc.
i Serm. 8. de ſanct.
k Epiſt. 116
l Tuſcul. 4

Malis vitiorum initio obſiſtendū.

m Auguſt. tractat. 1. in Joan.
n Dorotheus doct. 3
o 9. confeſſ. cap. 8
p de vita Moyſis.

A omnino ingrediatur, cavendum. Iob *q* diligenter id faciebat, *paciſcens cum oculis, ut ne cogitaret quidem de virgine*, & alius capi volebat *vulpes r parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Jacobus *ſ*, Alvarez noſter ex profeſſo demonſtrat perfectionem ſitienti religioſo præſertim, minima contemnenda non eſſe, ne paullatim decidat *t*. Conſule Bernardum *u*, Caſſian. *x*, Auguſt *y*, Bonavent. *z*, Anſel. *a*, quos ille citat: & quæ ipſi diximus commentario in Eccleſiaſten *b*, & in Pſal. 57. *c*. Ad rem etiam ſunt malæ cōditiones puerorum, quas Hugo hoc loco ad pravos motus cogitationum applicat; nempè quod fœteant urina, & immunditia: fœdent matris gremium; habeant ſemper manus immundas: ſtent in terra, lutoq; initio ſint debiles, poſtea creſcant, & vires acquirant: generent vermes. Grevæus *d* parvulos allidendos petræ primos malos motus, ut alii multi, exponit: ſed nominatim ſenſualitatis, invidię, puſillanimitatis, falſæ humilitatis, deficientis ſenſus: primos allidendos ad calculum candidum caſtitatis; ſecundos ad petram de qua fluit mel, oleum, aqua: tertios ad petram fortitudinis: quartos ad eum qui *diſci à ſe humili-* B *tatem* voluit *e*, ultimos ad eumdem, qui eſt vera ipſiſſimaque ſapientia. Intendi digitum in fontes: hauriat pro arbitrio qui volet. Quum vero mentio fiat de crudeli natorum cæde alliſorum ad petram, & quidem ante parentum oculos, ut Eſaias *f* prædixit, quod vel de ſimplici morte permoleſtum Agar exiſtimabat *g*, & Sedeciæ ante oculos, priuſquam iis illum orbaret, Nabuchodonoſor liberos ejus trucidavit *h*; & alius fuit qui

Natum ante ora patris patrem obtruncavit ad aras i,

Et Scriptura *K* exaggerat victimationem, quæ fit de filio in conſpectu patris, cùm, inquam, tanta ſit hæc, judiceturq. ſævitia, merito hinc è contrario, fortitudo admirabilis Chriſtianarum quarumdam matrum commēdari poteſt, quæ natos ante ſe ſuos pro religione occidi crudeliter non forti tantum animo tulerunt, ſed id ut ipſi conſtanter ac libenter tolerarent: intimis precibus hortatæ ſunt, & mortuos deinde ſimili violentæ mortis genere conſecutæ. Celebrantur hoc nomine mater Machabæorum. & apud nos Felicitas, Symphoroſa. Tandem notandum fieri poſſe, ut alluſerit David ad ingenium erinacii ſeu echini. Dū namque fęmina partum ſpinoſum differt, majore cum do- C lore parit, ac tandem enititur impoſita petræ, fœtumque allidit ei quodammodo. Certe juxta tropologiam, beatus qui non expectat donec adoleſcat peccatum, & *ut cùm conceperit concupiſcentia, pariat peccatum, & hoc cùm conſummatum fuerit, generet mortem l*, ſed quamprimum allidit ad petram, pia meditatione Chriſti, qui *eſt petra m.*

q cap. 31. 1
r Cant. 2. 15
ſ de vita ſpirit. 1. p. l. 5. p. 2. c. 16.
t Eccleſ. 19 1
u de ordine, vide ſub fin. & ſer. de ingratitud.
x Coll. 6. c. 7
y Epiſt. 108
z In ſpec. diſ. prolog. & p. 3. cap. 7
a de ſimilit. cap. 122.
b in c. 7. 19 in cap. 9. 18
c verſ. 10
d Serm. 303.
e Matt. 11 29
f cap. 13. 16
g Gen. 21. 16
h 4 Reg. 25. 7
i Virg. Æn. 2
k Eccl. 34. 24
l Jacob. 1. 15
m 1 Cor. 10. 4

PSALMUS
CENTESIMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

1. Ipſi David.

CONfitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu angelorum pſallam tibi: 2. adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum.

3. In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

4. Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ: qui audierunt omnia verba oris tui.

5. Et cantent in viis Domini: quoniam magna eſt gloria Domini.

6. Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit; & alta à longe cognoſcit.

7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

8. Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum: opera manuum tuarum ne deſpicias.

Titulus, & Argumentum.

Ipſi Davit.

Titulus.

TExtus Hebræus habet etiam tantum לדוד *lebDavid*, Chald. *per manum Davidis*. In textu Græco extat ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ Ἀγγαίου καὶ Ζαχαρίου *Pſal. ipſi David Aggei, & Zachariæ*: Sed pleriq; libri Græci non habent, Theodotio tantū τῷ Δαυὶδ Aquila & ii Editio nullum titulum exprimunt. Nullus Enarratorum meminit nec Latinorum nec Græcorum, quos equidem viderim; præter Apollinarium.

Ξυνὸν Ζαχαρίου, Ἀγγαίου τόδ᾽ ἄεισμα.
Commune Zachariæ, Aggæi hoc carmen.

Argumentum.

Hi duo Prophetæ populum hortati ſunt ad perficiendum templum, urbemq; & ipſorum prophetiæ ſunt de eadem re. Putant etiam Græci Pſalmo iſto, quem vocant εὐχαριστήριον, καὶ ἐπινίκιον gratias agi Deo ab iis, qui de Babylonica ſervitute, poſt partam veluti victoriā de hoſtibus qui eos erant aggreſſi, reverſi ſunt. Conſentit ex Latinis Hugo, Alcuinus, Lombardus. Arbitrantur alii propriè Davidem de rebus ſuis agere, ac potiſſimum gratias referendo pro liberatione ab Abſolon, & Siba; idq; adito ipſo tabernaculi loco, prout antea propoſuerat, quum diceret ad Sadoch *a*, *Reporta Arcam Dei in urbem, ſi invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum.* Sequuntur hanc de argumento Pſalmi ſententiam Lyranus. Ayguanus, Valentia: ſed hìc myſticè referri vult ab liberationem de captivitate ſpirituali, & præterea de externa ſub tyrannis, & gratias hìc agi pro converſione Regum terræ ad Chriſtum; & quod multi perſecutores Eccleſiæ puniri fuerint. Idem fere tradunt Latini reliqui etiam vetuſtiores, qui præterea indicant potiſſimam materiam gratiarum actionis eſſe, quod ſe David intellexerit exauditum pro adventu Meſſiæ, illumq; prævidere, ac prædicere potuerit, cum gloria ejuſdem, & Gentium converſione. Deniq; continetur in Pſalmo quoddam quaſi votum perpetuæ confeſſionis, laudis, venerationis Dei, ob favorem, & beneficia: cum deſiderio, ut hac ipſa de cauſſa ceteri quoque Reges idem præſtent. Fieri poteſt, ut duo illi Prophetæ Pſalmum iſtum poſt reditum de captivitate tamquā propoſito accommodatum cecinerint. Vel alius deinde, propter eamdem cauſſam, ſeu quia forſitan à populo cantatus eſt, & à dictis Prophetis prædicta illa liberatio, & reverſio, eorum nomina in titulo præfixerint. Verum, quod per ſe tradatur hìc ratio conſtruendi templi, Cajetano non aſſentior. In Pſalmi centeſimi undecimi titulo eſt, reverſionis Aggæi, & Zachariæ; & 145. habet in titulo nomina eorumdem Prophetarum. Lege quæ Pſalmo priore dicta ſunt. Inter Pſalmos, qui nobis uſui ſint, cùm opus habemus confeſſione, Athanaſius *b*, hunc numerat

a 2 Reg. 15. 25
b ad Marcel.

Verſ. 1.) Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi.

Senſus loci.
c in 9. & in 110

PRimorum ſeptem vocabulorum ſententia occurrit in aliis Pſalmis *c*, duobus, nec eget explanatione. Solum redigenda in memoriam diſtinctio confeſſionis laudis, fidei, pœnitentiæ, Hilarius meminit hìc de prima, & tertia; exponit autem de tertia, docens, maximam, & utiliſſimam eſſe lethalium vitiorū morbis in eorum confeſſione medicinam, fieri Deo confeſſionem omnia ſciēti, etiam cogitanda: ſed ut id, quod à te geſtum eſt, per cognitionem peccati confitearis eſſe peccatum, & ſic deinceps non admittas; quia confeſſio peccati, profeſſio eſt deſinendi: cùm nemo, quod agit, ad id agendum non aut fructu oblectationis alicujus, aut judicio bonæ in eo opi- A nionis aggrediatur, dum aut rectum id putat, aut cogaudet. Poſtremo, confeſſionem in toto corde ait eſſe, quum fit de omnibus prorſus peccatis, & à cunctis abſtinetur, orando ſemper ad Deum, ut in cohibendis peccatis, extinguendiſq; incentivis eorum, pendula voluntatis noſtræ ſtudia confirmet. Imitatur, ut ſolet, Hilarium is, qui nomen gerit Hieron. Diſtinguens item Auguſt. confeſſionē peccati, & laudis, teſtatur priorem ita notam eſſe, ut in quocumque Scripturarum loco auditum fuerit, *Confitebor tibi Domine*; aut, *Confitebimur tibi*, continuo jam conſuetudo ſit intelligendi, ut manus currant ad pectus tundendum. Sed confeſſionem laudis hìc accipi vult, ſive gratulationis, per quam totum cor in aram confeſſionis Dei quis imponat, & holocauſtum laudis ei offerat: quia holocauſtum dicitur ſacrificium, ubi totum incenditur, quippe quum Græcè ὅλον, quod hìc eſt, *totum* ſignificet. Perinde vero ait eſſe, ac ſi quis Deo dicat: Totum cor meū flamma tui amoris accende, nihil in me relinquatur mihi, nec quod reſpiciam ad meipſum, ſed totus in te æſtuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tamquam inflammatus abs te. Arnobius ait *confiteri in toto corde*, illum ſe B comprobare Chriſto, qui totas duodecim uncias cordis ſui ipſi tradiderit, & ſuperfluis, ac labentibus rebus nullam ſuæ mentis conceſſerit partem. Cauſſam adeo exactæ, integræ, perfectæ confeſſionis David addit eſſe, quia Deus ipſum ſemper audierit. Sic alibi *d*, *Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus*. In *e*, *die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudiſti me. Confitebor* f, *tibi, quoniā exaudiſti me*, Chriſtus etiam *Patri gratias agebat, quoniam Pater audiverat eum g*. Promittit demum David laudaturum ſe Deum externa laude vocis, ac inſtrumenti muſici, & quidem quanta maxima poſſit reverentia, utpote cum ſe in Angelorum conſpectu id facere debere conſideret, qui continenter, & maxime reverenter id faciant, atque ſumma cum intentionis puritate; præterea perinde ac ſi è regione Angelorum chorum contempletur, cui, ut notat Chryſoſt. reſpondendum ſibi ſit, & concinendum. Adjicit idem, anteq; illum Origenes *h*, ut cantor, qui cantat iſtum Pſalmum, profiteatur ſe velle cantare è regione Sacerdotum, qui appellantur Angeli *i*, canendoque præeunt, ut colligitur ex Paralipomenis k. Hugo, Angelos proprie accipiendo, adjicit alium ſenſum, quem prior Hilarius C innuit ut *pſallere in conſpectu Angelorum* non ſit dumtaxat ipſis teſtibus, & ad exemplum ſinceræ intentionis propoſitis, verum etiam adjutoribus. Quod Hilar. confirmat ex lege per Angelos data *l*, ex Angelis, quos auxiliares vidit Eliſæus *m*, ex Pſal. 33. *n*, ubi caſtrorum in merem locati dicuntur in circuitu Deum timentium. Enumerat Hugo miniſteria Angelorum, quantum ad eſſe naturæ, gratiæ, gloriæ, & quantum ad ſtatum pugnæ culpæ, pęne. Attigiſſe ſit ſatis, quum alibi eadem de re dixerimus: nec *pſallere in conſpectu Angelorum* ita proprie denotet id facere per eorum auxilium: ſicut nec ea pura intentione, qua illi, ut Auguſt. aliiq; dicunt: nec, ut Bruno, in eum finem, ut perveniatur ad viſionem Dei, qua jam illi perfruuntur: nec, ut Haimo, bene operando in beneplacito Angelorum. Bernardus *o*, hinc, & ex Pſal. 67. *p* *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus*, &c. probat Pſallentibus dignanter admiſceri ſanctos Angelos ſolere. Ait vero ſe proinde dolere, aliquos in ſacris vigiliis deprimi ſomno, nec cęli cives revereri; ſed in præſentia Principiū tamquā mortuos apparere, cùm eorū ipſi alacritate permoti, illorum intereſſe ſolemniis delectentur: verendum- D que ſit, ne deſidiam abominantes, cum indignatione recedant. Huc apta Grevæus *q*, illud ex Cantico *r*, Canticorum: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuā*. Demonſtrat etiam, qua ratione poſſimus orantes exprimere, ſive nos conformare ad omnes ordines Angelorum. Legatur ipſemet auctor. Locum porro illum Canticorum de Angelis explicat pręterea Rabbi Salomon, nec non Rupertus confirmans loci præſentis teſtimonio, Aquiſgranenſe Concilium *ſ*, recitans Bedæ verba cōplura in Lucam, hortatur ad attentè devoteq; audiendum ſacras lectiones, dandā operam Pſalmodiæ, incumbendum orationi, celebrandum miſſarum ſolemnia, quia prout hìc quoq; habetur, Angeli maximè adſunt, quum divinis ſpecialiter mācipamur obſequiis, nec dubitare licet, ubi corporis, & ſanguinis Dominici gerantur myſteria, ſupernorum civium adeſſe conventus Petrus Damiani *t*, damnat conſuetudinem, ut Clerici ſedeant, dum divina celebrant; quia ſemper leguntur Angeli, in quorum conſpectu pſallimus, ante conſpectum Dei ſtare, ac tre-

mentes

d pſ. 26. 6.
e pſ. 85. 7.
f pſ. 137. 21
g Joan. 11. 42
h Agellius citat.
i Malach. 2. 7.
K lib. 2. 7. 6.
l Act 7. 13.
m 4. Reg. 6. 15
n verſ. 2.
o ſerm. 7. in Cant. & Ep. 78.
p verſ. 26.
q ſerm. 304.
r cap. 8. 13.
ſ cap. 132.